












Jordanis.





Jornandes or Jordanes or

JORDANIS, Bp. of Ravenna

DE

GETARUM SIVE GOTHORUM

ORIGINE ET REBUS GESTIS.

RECOGNOVIT, ANNOTATIONE CRITICA INSTRUXIT ET CUM VARIETATE LECTIONIS EDIDIT

CAROL. AUG. CLOSS.



Stuttgartiae,
Impensis Eduardi Fischhaber.
MDCCCLXI.

Druck der K. Hofbuchdruckerei Zu Guttenberg in Stuttgart.

Præfatio.

Novam Iordanis de Gothorum origine et rebus gestis libri editionem adornaturus E. Fischhaber, vir honestissimus, quum ad me, cuius studium in istius ævi scriptoribus tractandis versatum esse sciret, semel atque iterum adiisset, ut eius in me denuo edendi curam susciperem, ego, ut ad conditionem oblatam descenderem, ægre a me impetrare potui, non nescius plus mihi laboris atque operae hanc in rem impendendum esse, quam laudis in me inde et præmii esse redundaturum. Postremo id mihi negotii passus sum imponi, non quod parem me ei esse sentirem confideremve, sed ut eorum quam primum consuleretur desideriis, qui historiæ illorum temporum ex ipsis fontibus petendæ et cognoscendæ studiosi, frustra plerumque circumspicerent et quærerent scriptorem, cuius exemplaria divendita iam dudum essent in tabernis librariis et raro obvia his quidem in oris. Recepto autem semel negotio in eo mihi non putavi acquiescendum, ut vulgatus translaticiusque textus qui dicitur, qualis ex editione Vulcaniana in eas, quæ insecutæ sunt, propemodum omnes propagatus est, typis

repetitus denuo in lucem emitteretur, verum, quoniam conditio atque forma illius ea erat, quæ melioris emendatiorisque moveret desiderium, hunc mihi laborem sumendum esse existimavi, ut contextus ad fidem bonorum librorum castigatus, conformatus mendisque quam maxime purgatus et, quantum pro subsidiorum ratione fieri posset, integritati suæ restitutus exhiberetur. Quem in finem conquisitis undique et collatis inter se optimis, quotquot mihi innotuerunt, editionibus aliisque multis, quæ textus rationibus ullo modo profore viderentur, subsidiis strenue impigreque rem aggressus molestiæ plenissimam, post exhaustos multos labores id effecisse tandem mihi videor, ut infiniti sint pæne scriptoris nostri loci in hac sive recognitione sive recensione, quos ex scriptorum exemplarium veterumque, quæ ex illis fluxerunt, editionum auctoritate emendare et restituere mihi licuerit, atque textus iam repræsentetur lectoribus immane quantum diversus a vulgari atque, ut ego quidem spero, emendatior et purior eoque ipso magis perspicuus. Perspicuitati autem etiam mutata in melius distinctione, pravissima quidem illa locis haud paucis, prospexisse mihi videor. Simul hoc dedi operam, ut editionibus veteribus accurate inter se collatis, unde cuiusque textus ductus esset undeque lectio quæque fluxisset, ostenderem. Præterea exceptis iis, quæ obvia in nominibus propriis in editionibus principe et Rhenaniana vel pueri corrigerent, peccatis, omnem omnino lectionis varietatem, neque universe, sed singulis nominatis libris, ne minima quidem discrepantia neglecta, diligenter enotatam apponere est visum, ut non modo haberent lectores, quod, si recepta lectio ipsis non arrideret, magis fortasse placiturum sibi ex omni copia accommodarent, sed cognoscerent quoque etiam in Iordanem, quanquam plurimis scriptoribus antiquis multo inferiorem ætate, non minus

quam in illos, grassatam esse et temporis vim iniuriamque, et librariorum hominum incuriam, negligentiam, stuporem, inscitiam, quandoque etiam licentiam. Quamvis autem plurimum operae ac laboris posuissem in contextu expurgando emendandoque, haud pauci tamen supererant loci corrupti et depravati, quibus sanandis operam suam negabant nostri libri. Eiusmodi itaque in locis coniectura erat agendum: quam quo cum successu exercuerim, iudicium alios penes esto. Non tamen recipiendas duxi in contextum coniecturas nisi paucissimas, quæ non modo insignem quandam speciem veri, sed ipsius quoque evidentiæ claritatem habere viderentur, quum timidior deprehendi mallem quam audacior. Sed neque sic satis factum putabam lectoribus. Narrat enim Iordanis res plurimas, quas multo minus quam quæ a Græcis Latinisque scriptoribus traditæ sunt olim, habemus cognitas, eæque in iis sæpe regionibus et terris gestæ referuntur, quarum leviore vel nulla etiam imbuti sumus notitia; præterea gentes, nationes, populi commemorantur ab eodem et quasi in scenam producuntur, qui illis ne auditu quidem fuerunt cogniti. Denique voces locutionesque reperiuntur apud nostrum, quas prior et antiquior ætas aut ignoravit aut aliter cepit et usurpavit, quarumque de significatione lexica frustra plerumque consulueris. Igitur ut his quoque in rebus consuleretur lectoribus, annotationes addere est visum, quibus modo res gestæ, quæ a nostro narrantur, illustrarentur, adhibitis hanc in rem cum aliis auctoribus tum illorum temporum, modo nomina ac sedes gentium nationumque atque urbium fluviorumque situs ab eo commemoratarum, quatenus eius fieri posset, explanarentur, allatis, quæ de iis viri docti suis in libris sparsim et superioribus temporibus et nostro commentati essent ac, quatenus commodum videbatur, servatis plerumque ipsis

eorum verbis, modo voces locutionesque propriæ illius seculi, quarum ignoratione vel docti viri in errores inducti historiæ ipsi, quum perperam eas interpretati essent, non semel vim adhibuerunt, éxplicarentur.

Hæc sunt, quæ de consilio, quod in paranda hacce Iordanis editione secutus sum, et de ratione, quam inii, lectores admonere visum est.

Restat, ut, quibus subsidiis instructus, rem et aggressus sim et absolverim, edicam, ac, quatenus iam hic opus est, iudicium de iis meum, qualia sint et quantum tribuendum sit unicuique, paucis et summatim interponam, pluribus de iisdem in prolegomenis acturus. Iam primum præsto mihi fuerunt editiones, quotquot e libris scriptis fluxerunt aut varias lectiones ex iis ipsis depromtas exhibent, Iordanis omnes. Agmen earum ducit editio princeps, quæ codicis scripti auctoritatem obtinere potest, quod ea nemo editorum usus est præter Rhenanum et Gruterum, sed ita uterque, ut alter, dum emendare sibi videbatur, multas eius lectiones corruperit, alter non tam inspexerit eam, quam in celeri transcursu tres tantum quatuorve locos ex ea excitaverit. Eam excipit Fornerii editio, commendanda quammaxime a lectionibus ex codice Pithoei depromtis, quarum aliæ in textum receptæ sunt, aliæ in margine leguntur appositæ. Proxime subsequitur Gruteri editio, omnium Iordanis, quæ unquam lucem viderunt, ut optima, ita nemini eorum, qui nostrum post ediderunt, inspecta et consulta, imo tantum non incognita omnibus. Quippe usus libris Palatinis duobus, qui ceteris omnibus et antiquitate et bonitate lectionis præferendæ essent, non modo plurimos locos emendavit Gruterus, sed etiam magnam optimarum sæpe lectionum copiam ex iisdem decerptam effudit. Illorum ego lectionem huic editioni tanquam fundamentum substruendam censui, ita tamen, ut ceteris neglectis vel

spretis omnem emendationem ex horum fide suspensam eosque ad scriptoris salutem fatis destinatos esse minime crederem, sed, si meliora et quæ veræ genuinæque lectionis magis haberent speciem, aliæ offerrent editiones, ea in seriem orationis reciperem. Agmen claudit Muratorii editio, in qua reperiuntur positæ infra textum lectiones, quas codex Ambrosianus suppeditavit, bonus quidem ille, neque tamen tanti, quanti vulgo solet, faciendus, quum interpolationis perpetuæ et consilio quodam factæ vestigia sat multa præ se ferat locosque corrigendo depravatos haud paucos exhibeat. Hæ solæ Iordanis editiones aut a libris scriptis fluxerunt aut lectionis ex codicibus manu exaratis ipsis depromtas repræsentant. Tum ad manus fuerunt mihi editiones Leunclavii, Vulcanii, Lindenbrogii et Garetii, qui tamen viri ad textum nostri emendandum et melius constituendum, quantum exspectes vel e nominibus eorum, minime contulerunt. Hi enim, præterquam quod libris manu exaratis plane destituti erant in Iordane edendo, nimis subitaria plerumque manu opus facientes, non solum antiquiores editiones nostri conquirere easque inter se comparare et bonum inde fructum capere supersederunt, sed ne Fornerii quidem editionem, omnibus præter Leunclavium, qui ante illum edidit nostrum, cognitam, ut apparet quidem ex ipsorum annotationibus, et manibus versatam, ea, qua par erat, cura et diligentia inspexerunt, consuluerunt, excusserunt et ad emendandum textum scriptoris adhibuerunt, ita ut optimas etiam, quas illa præfert modo in ipso contextu, modo in margine lectiones, neglexerint, emendanda interdum censentes, quæ recte in illa expressa erant, et coniecturis haud raro indulgentes, quibus, si curatius inspexissent Fornerii editionem, minime opus erat. Quæ omnia quo iure de viris illis doctissimis pronunciata sint a me, ut liquebit

ex annotationibus textui subiectis et e prolegomenis, ita, quomodo et quatenus ii et ipsi bene promeriti sint de Iordane et de textu eius emendando et rectius constituendo, non reticebitur vel dissimulabitur in eisdem.

Est denique præter eas, quas modo recensui, editiones in edendo Iordane aliud quoque subsidiorum genus, quod præsto mihi erat, neglectum quidem illud aut ignoratum ab iis, qui edendi nostri curam susceperunt, minime tamen contemnendum vel spernendum in textu eius emendando, et quod multum faciat ad confirmandas stabiliendasque assensu suo lectiones aliquammultas, eos dico scriptores, qui medio quod vocatur ævo florentes in Chronicis annalibusque suis conscribendis conglutinandisve nostrum ad partes vocaverunt eiusque librum in rem suam adhibuerunt, quo in negotio Iordane nondum exscripto typis libros manu exaratos adire necesse ipsis erat. Quorum alii ita usi sunt scriptore nostro, ut aliquot eius particulas vel etiam nomina propria, prout instituti eorum ratio poscebat, ex eo mutuarentur, ut Geographus Ravennas; alii ita, ut maiores quasdam excerptas ex eo partes vel parum vel plane non mutatas operibus suis immiscerent, ut auctor Historiæ Miscellæ, Freculphus, Gobelinus Persona; alii ita, ut totum pæne nostri librum in sua transscriberent, partim servatis integris nostri verbis, ut Excerptorum auctor, partim uno alterove loco mutatis, ut Rodericus, partim cultiori et comtiori oratione redditis, ut Bonfinius, partim denique in epitomen redigerent nostri librum, quod fecit Aeneas Sylvius. Horum quidem scriptorum plurimum ad textum nostri rectius constituendum conferre eos, qui aut parum aut plane non immutata nostri verba exhibent, nemo, puto, erit, qui non videat: magni tamen faciendi hac in re et illi, qui suis nostrum reddiderunt verbis, quum in suo quisque libro quid

repererit legeritque, si non videre semper, at certe coniectura plerumque assequi liceat. Eos igitur scriptores ad nostrum emendandum nemo, quod sciam, editorum adhibuit nisi Lindenbrogius, qui in adornanda editione sua usus est, quandoque etiam, ut videbimus, cum noxa nostri abusus, Historia Miscella, Freculpho, Chronico Ursbergensi. Ceterum haud scio, an in aliis etiam Chronicis, quæ adire mihi nondum licuit, multa latitent, quæ ad emendandum scriptorem nostrum transferri possint; quibus tamen Ottonis Frisingensis, Gotefridi Viterbiensis, Sigeberti Gemblacensis et aliorum quorundam Chronica annumerata nolim, quum hi non tam Iordanem ipsum, etiamsi usi eo esse videri volunt, in consarcinandis suis adhibuerint, quam Excerpta illa ante oculos habuerint, et ita nonnunquam, ut ea ipsa excerperent. Ne quid tamen desideraretur, quod ad commendandam hancce Iordanis editionem conferret, adii consuluique non paucos variique generis libros, in quibus viri docti unum alterumve nostri locum respicientes, aut lectiones e codicibus scriptis depromtas in medium proferrent, ut Zeussius in suis, Massmannius, alii, aut corrupta et vitiata emendarent, ut præter alios Cluverius et Wesselingius; quorum opera quidquid auxilii nostro afferre videbantur, id in editionem meam transtuli designatis locis, ubi quæque proposita leguntur.

Hæc sunt subsidia, quæ mihi in adornanda nova Iordanis editione ad manus fuerunt: quibus quomodo usus sim et quid qualicunque opera mea præstitum sit, aliorum iudicium facio.

Annotationes, quæ spectant partim ad res gestas narratas a nostro, partim ad terras et regiones, in quibus actæ sunt illæ, partim ad gentes nationesque et populos, a nostro commemoratos, partim ad voces denique et locutiones Iordanis ævo proprias, continebit volumen se-

cundum. Eidem præmissa erunt prolegomena, in quibus de vero nomine auctoris, de vita et scriptis eius, item de libris eius et manu exaratis et typis exscriptis, aliis denique de rebus, de quibus in prolegomenis scriptorum veterum quæri et disseri solet, agetur.

Quod superest, quum non semel erratum esse a typotheta videam, quamvis hoc actum sit sedulo, ut quam emendatissime prodiret liber, antequam ad lectionem accedant lecturi, ut errores in calce notatos corrigant, adhortor atque, si qui fortasse deprehensi non sint cum in contextu, tum in annotationibus, in his oculos fallente vel minutia literarum, eamque ob causam non enotati ad corrigendum, ut excusatum me velint, rogo, quum nemo ita lynceus sit, qui non interdum aliquid vitii in textu libri, quem tractat, prætereat. Insuper quum librum typis jam exscriptum relegerem, animadverti, codicis Ambrosiani lectiones aliquas omissas esse, quas etiamsi leviores, integritati variæ lectionis ne quid deesset, hic apponendas duxi. Sunt autem hæ: cap. 3. repræsentat Ambr. *Reffenæ.* c. 5. *Orosius in primo libro.* c. 7. *qui Gargaram civitatem præterfluit.* c. 10. *aucta victoria.* c. 13. *Oppii Savicini capite.* c. 16. *in Ponti litore Scythæ sol enituit.* Cap. 14. nomina propria ita, ut scripta offeruntur in Ambr. enotata quidem sunt exhibita, sed verba omnia, quomodo universe concepta sunt et posita ab eo, qui codicem scripsit, omissa, quæ ipsa non solum, ut plenissima sistatur lectionis Ambr. discrepantia, sed ob id etiam, ut ex uno saltim eoque evidenti exemplo jam nunc intelligatur, quid sumserit sibi in alienis librarius ille, adiicienda duxi. Legitur autem ita in Ambr. *Hulmul*, *qui fuit pater Augis*, *qui fuit pater Amal a quo origo Amalorum*, *qui Amal genuit Isarna*, *et ipse Ostrogotha*, *qui fuit Pater Hunnuil*, *qui genuit Athal patrem Achiulf*, *et Odulf*: *Achiulf genuit Ansila*, *et Ediulf*, *Vulfuulf*, *et*

Hermeneric: *Vulfuulf vero genuit Valaravans, qui genuit Vinitarium, et ipse Uvandalarium, patrem Tindemer, Valetmir, et Videmir. Thiudemir genuit Theudericum, qui genuit Amalasuentham, quæ fuit mater Athalarici, et Athesveritæ de Eutharico viro suo*; et paulo post: *Nam supradictus Hermeneric fil. Achiulf genuit Hunimundum, et ipse Thorismundum, qui genuit Berimundum etc.*

Scripsi Stuttgartiæ Id. Jun. MDCCCLXI.

Expositio notarum in annotationibus positarum*).

Ed. pr. **Editio princeps**, quæ curata a Conr. Peutingero, prodiit Augustæ Vindel. 1515. Fol.

Ed. Rhen. **Editio B. Rhenani**, quæ una cum Procopio, Zosimo aliisque typis impressa est Basil. 1531. Fol.

Ed. Leuncl. **Editio Leunclavii**, quæ cum Procopio, Agathia et aliis prodiit Basil. apud Petrum Pernam. s. a. sed ante Fornerii editionem. Fol.

Ed. Par. **Editio Fornerii**, quæ primum in lucem emissa est Cassiodori operibus annexa Par. 1579. Fol. deinde repetita ibid. ann. 1583. et 1588. 4. postremo Aureliae Allobrog. 1622. 8.

Ed. Vulcan. **Editio Vulcanii**, evulgata primum Lugduni Batav. 1597. 8. repetita ibid. 1618.

Ed. Grut. **Editio Gruteri**, adjuncta **Historiæ Augustæ scriptoribus** latinis minoribus, qui editi sunt Hanoviæ. 1611. Fol.

---

*) Alia compendia scribendi, quorum vulgo in libris usus est, quum satis nota sint (ut **v.** pro **vulgo** aut **vide** etc.), hic de industria omissa sunt.

Ed. Lindenbr. **Editio Lindenbrogii** in **Diversarum gentium historiæ** antiquæ scriptoribus tribus. Hamburg. 1611. 4.

Ed. Garet. **Editio Garetii,** quæ inest in **Cassiodori operibus,** editis ab eodem et in lucem emissis Rotomagi. 1679. Repetita Venet. 1729.

Ed. Murat. **Editio Muratorii,** quæ reperitur in **Collectione scriptorum rerum Italicarum.** T. I. Mediolan. 1723. Fol.

Mg. ed. pr. Lectiones, quæ in margine editionis principis leguntur enotatæ ex altero libro Peutingeri.

Mg. Leuncl. Lectiones, quas margo editionis Leunclavianæ exhibet, non tamen e libris scriptis enotatas, sed e coniectura editoris profectas.

Mg. Par. Lectiones, quæ in margine editionum Paris. leguntur, plurimæ quidem illæ depromtæ e codice Pithœi, partim tamen et ex ora editionis Leunclavianæ huc translatæ.

Pall. **Codices duo Palatini,** quos Gruterus in recensendo Iordane adhibuit, tantum non consentientes inter se.

Ambr. **Codex bibliothecæ Ambrosianæ,** cuius lectiones enotatæ sunt Saxii cura in edit. Murator.

Vulg. sive **vulgat.** i. e. Vulcaniana cum editionibus, quæ ex illa originem ducunt.

Hist. Misc. **Historia Miscella,** quæ vulgata est cum alias, tum supplementis aucta in Gruteri Historiæ Aug. scriptoribus et in Muratorii collectione.

Geogr. Rav. **Geographus Ravennas** cum Mela ab Iacob. Gronovio editus Lugd. Bat. 1696.

Freculph. **Freculphi**, episcopi Lexoviensis, chronicon; prodiit primum Novesii. 1539.

Exc. **Excerpta ex Iordane**, quæ primum, quod sciam, comparent in Ekkehardi Chronico universali et edita sunt cum alias, tum in Monumentorum German. historic. a Pertz. vulgat. Tom. VI. deinde in Chronico etiam Ursbergensi et alias. (Cæterum quod ad Ursbergense Chronicon attinet, monitos volo lectores, eam, quam Melanchthon eius curavit, editionem, nullius esse ad nostrum usus, quum, quæ ex Iordane excerpta exhibet, e principe huius editione mutata sint.

Cod. Stuttg. **Codex Ekkehardiani Chronici** membranaceus, exaratus. s. XII. qui N. 411. notatus, asservatur in bibliotheca publ. reg. Stuttgartiæ.

Rod. **Roderici Ximenez**, archiepiscopi Toletani, rerum in Hispania gestarum libri IX. accessit Gothorum, Arabum et Romanorum historia; insunt Hispaniæ illustratæ Tom. II. Francof. 1603. Fol.

Gobelin. **Gobelini Personæ**, decani Bilfeldensis et officialis Paderbornensis, Cosmodromium, hoc est Chronicon universale a. o. c. ad a. A. C. 1418. Insertum reperitur Henr. Meibomii iunioris Rerum Germanicar. scriptor. Tom I. Helmstad. 1686. Fol.

Epit. **Aeneæ Sylvii** Historia Gothorum; inest in Duellii Biga librorum rariorum. Francof. et Lips. 1730. Fol.

Bonf. **Antonii Bonfinii** Rerum Hungaricarum decades IV. Poson. 1744. Fol.

R. S. **Iordanis liber de Regnorum** et temporum successione, vulgatus tum alias, tum cum libro eiusdem de Goth. or. et reb. g. in edd. Vulcanii, Gruteri, Muratorii.

IORDANIS CASTALIO

S. D.

Volentem me parvo subvectu navigii oram tranquilli litoris stringere et minutos de priscorum, ut quidam ait, stagnis pisciculos legere, in altum, frater Castali, laxare vela compellis, relictoque opusculo, quod intra manus habeo, id est, de abbreviatione chronicorum, suades, ut nostris verbis duodecim senatoris volumina *De origine actibusque Getarum*, ab olim adusque nunc per generationes regesque descendentia, in uno et hoc parvo

---

parvo subvectu navigii) Sic Pall. cum Ambr. et Vaticano; pro *parvo* tamen *parvi* proponit legendum Gruterus ob concinnitatem, quod ego respuerim: oppositus est enim *parvus subvectus navigii* τῷ *in altum vela laxare*. V. *parvo subvectum navigio*. — *oram — litoris*) Mg. Par. *maris*. — *stringere*) Sic Pall. Ambr. Mg. Par. *attingere* vulgo. — *Castali*) Ambr. *Castule*. — *de abbreviatione*) Ita pro vulg. *breviatione* Pall. Ambr. Mg. Par. — *De — actibusque*) Ita emendatum in Pal. uno, cum prius fuisset *actusque*, quod et in altero. GRUT. *Actibusque* legitur etiam in Ambr. et Mg. Par. *actuque* vulgo. — *ab olim adusque nunc*) Sic Ambr. et ita esse legendum coniecit iam Lindenbrogius, lectionem Mg. Par. *ab olim et usque nunc* respiciens. V. *ab olim usque nunc*. — *regesque*) Ambr. *et reges*. — *descendentia*) Ita pro *descendente* Ambr. sed Pall. *descendentem* praeferunt, Mg. Par. *descendendum*: quid si legas *descendendo?* — *in uno — libello*) Sic Pall. cum Ambr. *in unum* vulgo. —

libello coartem — dura satis imperia, et tamquam ab eo, qui pondus hujus operis scire nolit, imposita! nec illud adspicis, quod tenuis mihi est spiritus ad implendam eius tam magnificam dicendi tubam. Super omne autem pondus, quod nec facultas eorumdem librorum nobis datur, quatenus eius sensui inserviamus. Sed ut non mentiar, ad triduanam lectionem dispensatoris eius beneficio libros ipsos antehoc relegi. Quorum quamvis verba non recolo, sensus tamen et res actas credo me integre tenere. Ad quos et ex nonnullis historiis Graecis ac Latinis addidi convenientia, initium finemque et plura in medio mea dictione permiscens. Quare sine contumelia quod exegisti, suscipe libens, libentissime lege; et si quid parum dictum est, et tu, ut vicinus genti, commemorans, adde. Ora pro me, frater carissime! Dominus tecum!

---

nolit) Ed. Par. *nolet.* — *Super omne autem pondus*) Ita Pall. et Ambr. sed Mg. Par. *super enim omnes est.* V. *Superat nos hoc pondus.* — *tenere*) Ambr. *retinere.* — *et ex nonnullis historiis*) Sic pro vulg. *nonnulla ex historiis* Pall. et Mg. Par. — *mea dictione*) Ita Pall. Ambr. Mg. Par V. *dictatione*, cui lectioni patrocinatur Barthius Advers. XIX, 14. — *et tu — adde*) Pro *et tu* Lindenbrogius *id tu* suspicatur legendum. — *commemorans, adde*) Sic alter Pal. cum Ambr. *commemoras: adde.* vulgo. *Ora*) Mg. Par. *orans.* — *Dominus tecum*) Haec verba in edd. desunt; addidi e Pall. et Ambr. sistit ea etiam cod. Vatic. 639.

IORDANIS

DE

GETARUM SIVE GOTHORUM

ORIGINE ET REBUS GESTIS.

I. Maiores nostri, ut refert Orosius, totius terrae circulum Oceani limbo circumseptum triquetrum statuere, eiusque tres partes Asiam, Europam et Africam vocavere. De quo tripartito orbis terrarum spatio innumerabiles paene scriptores existunt, qui non solum urbium locorumve positiones explanant, verum etiam, quod est liquidius, passuum milliariumque dimetiuntur quantitatem. Insulas quoque marinis fluctibus intermixtas, tam maiores, quam etiam minores, quas Cycladas vel Sporadas cognominant, in immenso maris magni pelago sitas de-

Cap. I. *triquetrum statuere*) Hanc lectionem Rhenanus e Mg. ed. pr. in qua ipsa *triquatrum* legitur, in orationis seriem intulit; Mg. Par. et cod. Monac. *triquadrum* sistunt, quomodo legitur etiam in Orosii ed. Havercamp. — *scriptores existunt*) Ambr. *spatio exstiterunt.* — *locorumve positiones*) Ed. Gar. *locorumque positiones.* — *quod est liquidius*) Sic primus dedit Vulcanius, abiecta ante relativum *et* copula, quam edd. pr. praeferunt; retinuerunt eam Lindenbrogius et Garetius.

terminant. Oceani vero intransmeabilis ulteriores fines non solum describere quis aggressus est, verum etiam nec cuiquam licuit transfretare, quia resistente ulva et ventorum spiramine quiescente impermeabilis esse sentitur, et nulli cognitus, nisi soli ei, qui eum constituit. Citerior vero eius pelagi ripa, quam diximus totius mundi circulum, in modum coronae ambiens fines suos, curiosis hominibus, et qui de hac re scribere voluerunt, perquaquam innotuit, quia et terrae circulus ab incolis possidetur, et nonnullae insulae in eodem mari habitabiles sunt, ut in orientali plaga et Indico Oceano Hippodes, Iamnesia, sole perustae, quamvis inhabitabiles,

Oceani — intransmeabilis — fines) Sic primus exhibuit Rhenanus, firmante eius coniecturam Ambr. nam ed. pr. *intransmeabiles* sistit. — *non solum describere — aggressus est*) Sic Pall. cum edd. pr. et Par. sed Ambr. et Mg. Par. *non solum quis describere aggressus non est;* lectio vulgata, *non solum non describere quis aggressus est,* a Rhenano fluxit. — *nec cuiquam*) Ambr. *nec unquam.* — *impermeabilis esse sentitur*) Sic Pall. Ambr. Mg. Par. nisi quod hic *inremeabilis* pro *impermeabilis* praefert. V. *impermeabiles esse sentiantur.* — *cognitus*) Sic pro vulg. *cogniti* Ambr. sed Pall. cum Mg. Par. *cognita.* — *nisi ei*) Ita Pall. cum Ambr. *nisi soli ei* vulgo. — *qui eum constituit*) *Eum* pro vulg. *eos* sistit Ambr. sed Pall. et Mg. Par. *eam* repraesentant; pro *constituit* Ambr. *fecit* praestat. — *quam diximus — circulum, in modum — fines suos*) Ita censui distinguendum, non, ut vulgo, *quam diximus, totius mundi circulum in modum coronae ambiens, fines suos* cet. — *et qui de hac re scribere voluerunt*) Ed. Lindenbr. *et qui de hac rescribere voluerunt.* — *perquaquam*) Revocavi hanc lectionem, quam praefert etiam Ambr. ex edd. pr. et Par. vulgata *perquam* a Rhenano est, sed recurrit eadem illa vox R. S. c. 107. — *quia et terrae circulus*) Ambr. *quia etiam ne circulus.* — *possidetur, et nonnullae insulae* cet.) Sic distinguendum, non, ut vulgo, *possidetur. Et nonnullae insulae.* — *Hippodes — Etheron*) Corruptissimum hunc locum prius quam restituere tentemus, primum variantes proponere lectiones, deinde eius, quem noster exscripsit verba, postremo Geographi Rav. qui nostrum, afferre e re videtur. Discrepantia autem lectionis ita habet: Pall. *Hippodem Iamnesiam solis perustam, quamvis inhabitabilem*, ut et mox, *in longum latumque extensam. Taprobanem quoque, in qua ex-*

tamen omnino sui spatio in longum latumque extensae. Taprobane quoque, in qua exceptis oppidis vel possessionibus dicunt munitissimas urbes, decoram Sedaliam,

---

cepto oppida vel possessiones decem munitissimas urbes. Decoram sed et aliam Silefantinam Ambr. *Hippodemia viâ solis perusta, quamvis inhabitabilis, tamen omnino sui spatio in longo latoque extensa: Taprobane quoque, exceptis oppidis et possessionibus, decem munitissimis urbibus decorata sunt, et alia omnino gratissima Silephantina nec non Etheron* Mg. Par. *Hippopodes iam nesciam solibus perustam quamvis inhabitabilem, tamen omnino sui spacio in longum latumque extensam. Taprobanam — decem minutissimae urbes decorantur, sed et aliam — Silephantinam et Theron.* Iulius vero Honorius, p. 7. ed. Gronov. a. 1695, quem sequitur Iordanis, nomina illa ita repraesentat: *Insulae orientales* (l. orientalis) *Oceani sunt Hippopodes insula, Iannessi insula, Solis perusta insula, Taprobane insula, Silefantine insula, Theron insula.* Denique qui nostrum prae oculis habebat, quum sua scriberet, Geographus Rav. V, 29 nomina ita recenset: *in Oceano — Indiae — Ipode, Iamnesia, Silefantia, Theron; Taprobanes* autem paulo post meminit. *Sedaliae* insulae apud neutrum mentio, neque in variis lectionibus, ut vidimus modo, id nominis comparet. His igitur praemissis examinatisque diligenter variis lectionibus, ita refingendus distinguendusque mihi videtur locus: *possideturet nonnullae insulae in eodem mari habitabiles sunt ut in Orientali plaga et Indico Oceano Hippopodes, Iamnesi* seu *Iannessi. Una solis perusta quamvis inhabitabilis, tamen omnino sui spatio in longum latumque extensa. Taprobane quoque exceptis oppidis et possessionibus decem munitissimis urbibus decorata. Sed alias omitto, gratissimam Silephantinam necnon et Theron.* Secutum me esse in loco ita constituendo Ambros. maxime et Mg. Par. lectiones quivis videt; pro recto vero casu quum quartum sistant Pall. et Mg. Par. si hic ab Iordane est profectus, nihil restat nisi ut arbitremur, aut postposita omni ratione grammatica scripsisse nostrum, aut excidisse *habet* vel aliud eiusmodi verbum. Sed iam ad singula transeamus. *Hippopodes* facit perperam insulam Iulius eumque secutus noster, iidemque de *Iamnesi* seu *Iannessi insula* loquuntur, vel male inspecto quem ille sequitur, Solini loco c. 19, 7, vel corrupto, quo utebatur libro: (Solinus enim ita: *auctor est Xenophon — alias esse insulas, quorum Hippopodes indigenae — esse et Phannesiorum* (al *Fanesionum*) *Una* insula solis commemoratur a nostro praeeunte Iulio: quam vocem quum connexam

omnino gratissimam Silestantinam, necnon Ethéron, licet non ab aliquo scriptore dilucidas, tamen suis possessoribus affatim refertas. Habet in parte occidua idem Oceanus aliquantas insulas, et paene cunctas ob frequentiam euntium et redeuntium notas. Et sunt iuxta fretum Gaditanum haud procul una Beata, et alia, quae dicitur Fortunata. Quamvis nonnulli et illa gemina Galliciae et Lusitaniae promontoria in Oceani insulis ponant, in quorum uno

---

cum *Iamnesi* seu *Iannessi* deprehendissent librarii, haud scio an inde evenerit, ut, ubi semel *Iamnesiam* legi est coeptum, in quarto casu ponendo quidam pergerent librarii. *Taprobane — decorata* exhibui Ambr. secutus, nisi quod vocem *sunt* expuli. Potest tamen fortasse retineri, ut *Taprobane* plurali numero posuerit Iordanis, quo Tempe semper leguntur, Syene apud Sulpic. Sever. Dialog. I, 16. *Decem* ut reciperem pro vulg. *dicunt*, movit me non librorum modo auctoritas, sed etiam, quem hic in partes traxit noster, Orosii locus, I, 2. *Taprobane quae habet decem civitates.* Vocabulum *Sedaliae* non posse hic habere locum, supra ostensum; voces autem *omitto* et *omnino* quam facile potuerint confundi, quivis videt. *Silephantinam* reposui pro *Silestantinam, Elephantinen* rectius scribi non nescius: at quum quem noster secutus est, iam vitiatum exhibeat nomen, apud nostrum mutare illud nefas duxi. Retinui etiam *Theron*, hoc nomine quamquam non minus corrupto quam illo, minime tamen librarii vitio, sed auctoris, quem Iordanis sequitur. *Teredonem* autem insulam intelligi infra Euphratis et Tigridis confluentem sitam, cuius meminerunt Strabo XVI, 3. p. 381, 382 ed. Tauchn. Dionysius Perieg. v. 982. Plinius H. N. VI, 32. Ptolemaeus V, 20, 5. VIII, 20, 30. videmus ex illis Aethici, p. 31. quem Iulius sequitur, *Euphrates — infundit se mari Oceano orientali sub insula Theron. — licet non — refertas.*) Ambr. *tametsi non ab aliquo scriptore dilucide tamen suis possessionibus affatim refertae. — aliquantas insulas*) Ita dedit primus Vulcanius e Mg. Par. quum edd. pr. *aliquantulas* sistant. *Aliquantas* autem pro aliquot dixit Iordanis more posterioris aevi; cf. de hoc vocis usu Munker. ad Fulgent. Myth. II, 9 et Tzschuck. ad Eutrop. IV, 27. quique ibi laudantur. — *Galliciae — promontoria*) Ambr. *Galeciae* semper, quod prope accedit ad Gallaeciae nomen, quomodo primitus appellata est illa provincia: at quum *Gallicia* plus semel apud Iordanem occurrat idque sine lectionis varietate, retinere eam scripturam ut aetatis recentioris visum est.

templum Herculis, in alio monumentum adhuc conspicitur Scipionis, tamen, quia extremitatem Galliciae terrae continent, ad terram magnam Europae potius, quam ad Oceani pertinent insulas. Habet tamen et alias insulas interius in suo aestu, quae dicuntur Baleares, habetque et aliam Mevaniam, necnon et Orcadas, numero triginta tres, quamvis non omnes excultas. Habet et in ultimo plagae occidentalis aliam insulam nomine Thylen, de qua Mantuanus inter alia:

— *tibi serviat ultima Thyle.*

---

monumentum — Scipionis) Sunt qui provocantes ad Strab. III, 1 fin. et Mel. III, 1. *Caepionis* hic legi velint. Sed enim praeterquam quod nulla neque h. l. neque infra c. 44, ubi eiusdem recurrit mentio monumenti, visitur varietas lectionis, vel ipse situs, qualis describitur a Iordane, refragari videtur huic correctionine dicam an corruptioni dubito. — *habetque et*) Ambr. cum Monac. *habetque* edd. pr. et Par. *habet et*, sed vulgatam, quae a Leunclavio est, tuentur Pall. — *habetque — aliam Mevaniam*) Pall. *alia Evania* Ambr. et Monac. *aliam Evaniam*: bene tamen habet lectio vulgata. *Mevaniæ* enim mentionem faciunt Orosius I, 2. Iulius Honorius p. 10. Aethicus p. 34. quin de duabus Mevaniis insulis loquitur Beda Venerab. Histor. eccles. gent. Angl. II, 5, 9. quare non erat, quod *Mevaniam* Orosii in *Menaviam* mutaret Cellarius G. A. L. II. c. 4. §. 81. — *numero triginta tres*) Hunc numerum praeferunt Pall. Ambr. Monac. sed in Mg. Par. XXIII. exhibentur, XXXIV. vulgo. De numero autem Orcadum licet disceptetur (v. Tzschuck. ad Mel. III, 6, 7) ut illorum amplecterer lectionem, movit me, quem hic prae oculis habebat noster, Orosius I, 2. (Orcadum) *viginti desertae sunt, tredecim coluntur* quique nostrum exscripsit Geographus Rav. V, 32. *sunt numero insulae XXXIII quae et Dorcades* (l. *et Orcades*) *appellantur. Quæ quamvis non existunt omnes excultae* cet. — *Habet et in ultimo* cet.) Pro verbis *et in* sistit *et nec* Mg. Par. — *Thylen*) Ed. Lindenbr. *Thulen;* perinde tamen est, utromodo legas; vid. quae de illa scriptura disputant Tzschuckius ad Mel. III, 6, 8 et Wagner ad Virgil. Georg. 1, 30. — *inter alia*) Hæc verba restitui e Pall. sistit quoque ea ed. pr. corrupta quanquam vel potius compendiose scripta et coalita in unum vocabulum *Italia*: quod quum hic locum habere non videretur, uncinis inclusit Leunclavius, eiecit Fornerius, sequentibus post editoribus. Iordanis autem esse illa, apparet quoque ex aperta nostri imitatione apud Geographum Rav. V, 33. *est insula quæ dicitur Thyle, de qua et Mantuanus ait inter reliqua.*

Habet quoque is ipse immensus pelagus in parte arctoa, id est septentrionali, amplam insulam nomine Scandzam, unde nobis sermo, si dominus iuverit, est assumendus, quia gens, cuius originem flagitas, ab huius insulae gremio, velut examen apum erumpens, in terram Europae advenit. Quomodo vero aut qualiter, in subsequentibus, si dominus donaverit, explanabimus.

II. Nunc autem de Britannia insula, quae in sinu

---

is ipse — pelagus) Ita habent quaecunque Vulcanii antecedunt edd. is primus hoc *ipsum immensum pelagus* e Mg. dedit Par. eiusque ex ed. haec lectio in insecutas fluxit. Astipulantur autem lectioni a me restitutae et ipsi Pall. ut non librarii hic videatur subesse vitium, sed auctoris vel aetatis potius: sic Paulinus Petrocor. vit. Martin. L. 1. p. 8. ed. Pis. *pelagum fluctusque petens* et Cassiodorus Variar. VIII, 10. *cum furentem pelagum spuma testaretur undarum.* — *Scandzam*) Ita libros habere, testatur Grotius Proleg. p. 2. eandem scripturam Mg. Par. sistit, monitum tamen est ibi legi etiam *Scauram*, *Scandiam*, *Scandram*. Pall. quoque eandem exhibere lectionem, vix dubitarim: quam enim ut constantem Pall. in notis repraesentat lectionem Gruterus *Sandzam*, ea operarum magis socordia videtur orta, quam nostri aut librariorum manus. Stat quoque a lectione recepta Monac. necnon qui nostrum, ut ipse testatur, sequitur Geographus Rav. I, 12. V, 30. ita tamen, ut *d* literam omittat. Eodem quo Ravennas modo expressum repraesentat semper Freculphus nomen; *Scandiam* vero Ambr. et Rod. sistunt semper, quo modo Graecis quoque ut Ptolemaeo II, 11, 34. Agathemeri II, 1. *Σκανδία* est eadem insula quod tamen eodem redit: nam syllaba *δι* vel *di* in *ζ* vel *z* literam abit nonnunquam, ut annotatum est infra c. 17. Lectio vulg. *Scanzia*, a quo Exc. quoque stant, inde ab ed. pr. in omnes est propagata. Plura de scriptura nominis eiusque originatione dabunt Cluverius G. A. L. III. c. 38. Grotius Proleg. p. 2. 3. Zeussius in: *Die Deutschen u. die Nachbarstämme* p. 157. n. 2. I. Grimmius in: *Geschichte d. deutsch. Spr.* T. II. p. 727.

Cap. II. *Nunc autem*) Mg. Par. *enim*: utram tamen praeferas lectionem, perinde est; idem emergit sensus. Quippe *nam* et *enim*, *namque* et *etenim* particulae a lapsae Latinitatis scriptoribus millies ponuntur, quibus transitus fiat, quin quidquam praecesserit, cuius ratio reddatur. Quod ut comprobetur congestis, quum multis locis et apud nostrum inveniantur, non opus est exemplis.

Oceani inter Hispanias, Gallias et Germaniam sita est, ut potuero, paucis absolvam. Cuius licet magnitudinem olim nemo, ut refert Livius, circumvectus est, multis tamen data est varia opinio de ea loquendi. Quam diu siquidem armis inaccessam Romanis Julius Caesar praeliis, ad gloriam tantum quaesitis, aperuit: pervia deinceps mercimoniis aliasque ob causas multis facta mortalibus, non indiligenti, quae secuta est, aetati certius sui prodidit situm, quem, ut a Graecis Latinisque auctoribus accepimus, persequemur. Triquetram eam plures dixere, cono similem, inter septentrionalem occidentalemque plagam proiectam, uno, qui maximus est, angulo Rheni ostia spectantem, dehinc correpta latitudine obliqua retro abstractam in duos exire alios, geminoque latere longiore Galliae praetendi atque Germaniae. In duobus millibus

---

circumvectus est) Ambr. *circumvectus sit.* — *Iulius Caesar*) Ambr. *Iulius centum* ex male intellecto scribendi compendio. — *aperuit: pervia deinceps* cet.) Ita Pall. et Ambr. nisi quod hic *deinde* pro *deinceps;* vox *pervia* in ed. Par. deest. Vulgo et legitur et distinguitur *aperuit perviam*: *deinceps* cet. — *facta*) Sic pro *patefacta* Pall. — *prodidit*) Ita Ambr. cum edd. Par. et Lindenbr. *prodiderat* edd. pr. quam lectionem in *prodit* Vulcanius mutavit. — *quem* — *persequemur*) Sic Pall. cum edd. Par. et Lindenbr. nisi quod in illa *persequimur,* ut et vulgo, legitur: pro *quem* pleraeque edd. *quam* repraesentant. — *Triquetram* — *dixere*) Ita dedit Rhenanus, cum *triquatram* in ed. pr. legatur. Ambr. *tricadram* praefert, Mg. Par. *triquadram.* — *cono similem*) Triquetra si est Britannia, qui tandem *cono* possit esse similis? *cuneo* ut legatur, suadet tum res ipsa, tum, cuius haec scribens habebat ob oculos verba noster, Pomponius Mela III, 6. *se in diversos angulos cuneat triquetra* (Britannia). — *qui maximus est*) Sic Ambr. *magnus* vulgo. — *Rheni ostia*) Ita pro vulg. *in Rheni ostia* Pall. — *spectantem*) Hanc vocem, quam et Pall. praeferunt, e Mg. Par. Vulcanius primus in textum recepit; nam in edd. pr. non comparet. — *correpta* — *abstractam*) Hanc lectionem sistit primum ed. Par. priores *correptam* exhibent et *abstracta.* — *latere longiore*) Ed. Par. *longiorem.* — *Galliæ prætendi atque Germaniæ*) Hanc lectionem, exhibitam a Mg. Par. vetustiori *Galliam prætendit atque Germaniam* Vulcanius primus substituit; pro *prætendi* in Ambr. *protendi* legitur.

trecentis decem stadiis latitudo eius ubi patentior, non ultra septem millia centum triginta duo stadia fertur extendi; modo vero dumosa, modo silvestri iacere planitie, montibus etiam nonnullis increscere: mari tardo circumflua, quod nec remis facile impellentibus cedat, nec ventorum flatibus intumescat, credo, quia remotae longius terrae causas montibus negant: quippe illuc latius, quam usquam, aequor extenditur. Refert autem Strabo, nobilis Graecorum scriptor, tantas illam exhalare nebulas, madefacta humo Oceani crebris excursibus, ut subtectus sol per illam paene totam foediorem, qui serenus est, diem negetur aspectui. Noctem quoque clariorem in extrema

---

credo) Hanc vocem, quam habet et Tacitus, quem hic sequitur noster, Ambrosianusque etiam exhibet, revocavi ex ed. pr. Primum abest ab ed. Leunclav. indeque in nulla insequentium comparet. — *Refert autem Strabo*) Mg. Par. *enim.* — *madefacta humo*) Haec lectio desumta e Mg. Par. primum visitur in ed. Vulcanii; priores edd. *madefactam* tantum sistunt. — *ut subtectus — aspectui*) Haec est lectio vulgata, profecta a Vulcanio, qui in effingenda ea secutus maxime est lectionem Mg. Par. *subtextus sol per illam pene totam qui serenus est diem negetur aspectus:* in prioribus autem edd. legitur *ut subtectus sol per illam pene totum foediorem, qui serenus est, diem negetur aspectui.* Quarum lectionum quum neutram stare posse vidisset Lindenbrogius, loco ita mederi studuit, ut eiecta voce *foediorem* exhiberet, *ut subt. s. per illam paene totam, qui serenus est diem, negetur aspectus.* Sed nec ita consultum esse loco, quivis videt: quid igitur si legas, *ut subtectus sol per illum paene totum foedior et qui serenus est diem, negetur aspectui?* sensu, ut mihi quidem videtur, non incommodo. Corruptela autem inde potuit oriri, quod librarius *et* vocem compendiose scriptam ē ad praecedentem referens vocem per syllabam *em* expressit. Eadem quæ hic a me, iam a Casaubono ad Strab. IV, 3. proposita est coniectura, nisi quod ille *foedior qui* legendum suspicatur. — *Noctem — Cornelius*) Sic praeferunt et distinguunt Pall. eandem sistit Ambr. lectionem, nisi quod, ut et Monac. *etiam* pro *quoque* exhibet, aliter tamen habet distinctum, interpunctione maiori post *minimamque* posita. Vulgo legitur et distinguitur *negetur aspectui, noctem quoque, clariorem. In extrema eius parte*

eius parte minimamque Cornelius etiam, annalium scriptor, narrat, metallis plurimis copiosam, herbis frequentem et his feraciorem omnibus, quae pecora magis, quam homines alant: labi vero per eam et multa quam maxima relabique flumina, gemmas margaritasque volventia. Silorum colorati vultus; torto plerique crine et nigro nascuntur; Calidoniam vero incolentibus rutilae comae, corpora magna, sed fluida: Gallis sive Hispanis, ut quibusque attenduntur, obsimiles. Unde coniectavere nonnulli, quod ea ex his accolas contiguo vocatos acceperit. In-

---

Memma quam Cornelius cet. Quam lectionem cum prae oculis haberet Lipsius, pro *Memma* legendum *Mona* coniecit ad Tacit. Ann. XIV, 29. — *narrat*) Ed. Grut. *enarrat.* — *metallis plurimis — feraciorem*) Deesse hic aliquid videtur, quum non habeas, ad quod illa *copiosam, frequentem, feraciorem* referas. — *omnibus, quae — alant*) Sic Pall. necnon Mg. Par. et cod. Monac. nisi quod hi *omnibusque* sistunt, sed Ambr. *omnibus quod* V. *omnibus, quia — alat.* — *Silorum — vultus*) Sic pro *Sylorum* Pall. — *fluida*) Mg. Par. *fluidae ut.* — *Gallis — obsimiles*) Sic Pall. Ambr. Mg. Par. sed Monac. *similes* V. *qui Gallis — assimiles. Hispanis*) Pall. *Spanis* semper: de qua scriptura nominis, extremae aetatis scriptoribus usitatissima neque meliori aevo plane ignota, vid. quae annotarunt praeter alios Casaubonus ad Spart. Hadrian. c. 1. Scriverius ad Veget. R. M. I, 1. Berneggerus ad Iustin. XII, 13, 1. Holstenius ad Stephan. Byz. v. Ἱσπανία Wesselingius ad Hierocl. p. 734. Oberlinus ad Vib. Sequest. p. 398. Tzschuckius ad Mel. I, 6, 1. Interpp. denique ad Epist. Paul. ad Roman. XV, 24, 28. — *ut quibusque attenduntur*) Ita Pall. et Ambr. nisi quod hic *quibus qui* pro *quibusque*, sed ed. Par. *quibusque attenduntur*, omissa *ut* particula; pro *attenduntur* Monac. *adtunduntur* praefert. Loco *attenduntur* mallem tamen *obtenduntur*, ut apud Mel. I, 4. *obtenditur* (Africa) *non totis huius* (Europae) *litoribus*, Plin. H. N. V, 17. *Libano par — mons adversus Libanus obtenditur*, Tacit. Agr. c. 10. (Britannia) *in occidentem Hispaniae obtenditur*, apud eund. Germ. c. 35. *Chaucorum gens — omnium quas exposui gentium lateribus obtenditur.* — *quod ea*) Mg. Par. *quod terra.* — *accolas*) Monac. *accolis.* — *contiguo*) Sic Pall. Ambr. Mg. Par. mallem tamen *e contiguo*, quum fieri potuerit, ut *e* praepositio initiali vocis sequentis absorberetur; Monac. *contigius* V. *continuo.* — *vocatos*) Monac. *vocabulum.*

culti aeque omnes populi regesque populorum; cunctos tamen in Calidóniorum Maeatarumque concessisse nomina, auctor est Dio, celeberrimus scriptor annalium. Virgeas habitant casas, communia tecta cum pecore, silvaeque illis saepe sunt domus. Ob decorem nescio, an aliam quam ob rem, ferro pingunt corpora. Bellum inter se aut

---

cunctos — auctor est Dio) Sic Pall. Ambr. cod. Vatic. 639. Mg. Par. et ex hoc ed. Lindenbr. *Maeatarumque* praefert Monac. quoque, sed pro *concessisse* cet. exhibet *concessoque nomina div auctor est.* Prodigiose vulg. *cunctis tamen in Calidoniorum metallum concessisse nominandi auctor est Dio.* — *aliam quam ob rem*) Sic pro vulg. *aliam ob rem* Pall. cum Mg. Par. — *Ob decorem — corpora*) Mela III, 6. *Britanni incertum ob decorem an quid aliud vitro corpora infecti*: quem Melae locum, quum sua scriberet, nostrum ante oculos habuisse, uti non est dubium, sic quaeritur, locus nostri, quum *vitro corpora infecti* apud Melam legatur, apud nostrum vero *ferro pingunt corpora*, corruptus sit necne. Pro corrupto eum habet Tzschuckius ad. Mel. l. l. tum propter verbum *pingere*, quod ad vocem *ferro* non commode referri possit, quocum vero optime conveniat *vitrum*, quae herba sit caeruleum efficiens colorem (*isatin* Plinio vocari, *isatin tinctoriam* Linnaeo) tum Melam quia ante oculos habuerit. Hoc quidem nemo in dubium vocarit; minime tamen obliviscendum (id quod vel ipsum hoc caput docuerit) Iordanem, aliena ubi affert, saepe vel immutare, prout ipsi commodum videtur (quomodo paulo post *covinis* Melae *essedas* substitutas videmus) vel sua alienis immiscere: quidni itaque morem suum secutus *ferrum vitro* substituerit, ubi ipsi ita est visum? idque tum maxime, si non intelligeret, *vitrum* quid sit apud Melam vel si aliud quid in exemplari suo reperit (nam in lectionem *vitro* non omnes Melae libri consentiunt). Et minime licet infitier, *vitrum* cum verbo *pingere* optime convenire, locum tamen habere potest etiam *ferro pingere* i. e. calido ferro stigmata inurere, qnod fecisse Britannos auctores sunt tum alii (v. Salmas. ad Solin. c. 22) tum Herodianus III, 14, 13, 14. et Servius ad Virgil. Aen. IV, 146. Igitur ubi tale quid apud scriptorem aliquem legit Iordanis, quid ni id amplexus libro suo insereret? At *pingere* verbum quum cum *ferro* non bene coniungatur, legendum certe *pungunt* cum Iureto. Minime: proba est dictio *ferro pingere;* sic Claudianus de Laudib. Stilic. II, 248. *Caledonio velata Britannia monstro, ferro picta genas;* idem in Rufin. I, 313.

imperii cupidine, aut amplificandi, quae possident, saepius gerunt, non tantum equitatu vel pedite, verum etiam bigis curribusque falcatis, quos more vulgari essedas vocant. Haec pauca de Britanniae insulae forma dixisse sufficiat.

III. Ad Scandzae insulae situm, quam superius reliquimus, redeamus. De hac enim in secundo sui operis libro Claudius Ptolemaeus, orbis terrae descriptor egregius, meminit, dicens: est in Oceani arctoo salo posita insula magna, nomine Scandza, in modum folii citri, alteribus pandis, post longum ductum concludens se. De qua et Pomponius Mela in maris sinu Codano positam refert, cuius ripas influit Oceanus. Haec a fronte posita est Vistulae fluvii, qui Sarmaticis montibus ortus in conspectu Scandzae septentrionali Oceano trisulcus illabitur, Germaniam Scythiamque disterminans. Haec ergo habet ab oriente vastissimum lacum in orbis terrae gremio,

---

Membraque qui ferro gaudet pinxisse Gelonus. Hæc fuerunt, quibus motus neque *vitrum* pro *ferro,* neque *pungunt* pro *pingunt* nostro obtrudi.

Cap. III. *Ad Scandzæ — situm*) Mg. Par. et hic et paulo post *Scandria.* — *Ptolemaeus*) Ed. pr. *Ptolomaeus*; correxit Rhenanus. — *in Oceani arctoo salo*) Ambr. et Exc. *in Oceani arctoi salo*, ille tamen, ut Rod. quoque, *solo* pro *salo* exhibet. — *in modum folii citri*) Ita optime Mg. Par. neque aliter Pall. et Exc. voluisse videntur exprimere, cum *cetri* praeferant. V. *cedri*: pessime. *Citrei* enim *folii* delineatio est ea, quam Iordanis proponit, *cedrini* non item. — *post longum — concludens se*) Ambr. Mg. Par. Freculph. Rod. Exc. *per longum ducta* Epit. *per longum ductum.* — *de qua — refert*) Haec verba, excepta Grut. ab omnibus absunt edd. praeferunt autem ea Pall. Ambr. Freculph. Rod. Exc. nisi quod exscriptores nostri rationi grammaticae convenientius *quam* pro *de qua;* Ambr. vero *aequam,* sine dubio pro *et quam.* — *cuius ripas influit Oceanus*) Sic pro *eius ripas* Pall. Ambr. Freculph. Exc. — *a fronte — Vistulae*) Freculph. *Iustulae.* — *disterminans*) Hanc lectionem recepit primus Vulcanius e Mg. Leunclav. firmatur a Freculph. edd. pr. *determinans* sistunt. — *lacum*) Epit. *lucum.*

unde Vagi fluvius, velut quodam ventre generatus, in Oceanum undosus evolvitur. Ab occidente namque immenso pelago circumdatur, a septentrione quoque innavigabili eodem vastissimo concluditur Oceano, ex quo quasi quodam brachio exeunte, sinu distento, Germanicum mare efficitur. [Hic gentes, quae carnibus tantum vivunt.] Ubi etiam parvae quidem, sed plures perhibentur insulae esse dispositae, ad quas si congelato mari ob nimium frigus lupi transierint, luminibus feruntur orbari. Ita non solum inhospitalis hominibus, verum etiam beluis terra crudelis est. In Scandza vero insula, unde nobis sermo est, licet multae et diversae maneant nationes, septem tantum earum nomina meminit Ptolemaeus. Apum ibi turba mellifica ob nimium frigus nusquam reperitur. In cuius parte arctoa gens Adogit con-

---

velut quodam ventre generatus) Rod. *quasi eius utero generatus*: neque id male; vulgatam tamen retinere placuit vel ob similem locum apud Cassiodorum Var. XI, 14. ubi de Addua fl. *tanto impetu vastissimi aequoris undas incidit, ut — obesiore alvei ventre generetur.* — *sinu distento*) Freculph. *sinu detento.* — *Hic gentes — vivunt*) Haec verba in Pall. non comparent, quare eiecit Gruterus; neque Exc. Epit. Bonf. ea habent, unde uncis inclusi. Videntur autem e Mg. in textum irrepsisse. — *Ubi etiam parvae quidem, sed plures*) Sic Pall. et Mg. Par. *ibi etiam parvae, sed plures* vulgo. — *In Scandza — Ptolemaeus. Apum ibi — reperitur*) Invertit hic — et haud scio an iure — ordinem verborum Lindenbrogius, ita ut elocutionem, cuius initium *Apum ibi* cet. ante illa *In Scandza* cet. collocaret. — *septem nomina — meminit Ptolemaeus*) Sex, non septem recenset Ptolemaeus, qui nunc est: *Κατέχουσιν* — inquit L. II. c. 11, 35 — *αὐτῆς (Σκανδίας) τὰ μὲν δυτικὰ Χαιδεινοί, τὰ δ᾽ ἀνατολικὰ Φαυόναι καὶ Φιραῖσοι, τὰ δὲ μεσημβρινὰ Γοῦται καὶ Δαυκίωνες, τὰ δὲ μέσα Λευῶνοι.* — *septem tantum earum nomina*) Sic pro vulg. *tamen* Mg. Par. cum Rod. permutatur autem saepissime utraque particula, ut docebunt, qui laudantur a Kritzio ad Vellei. II, 28, 4. — *nusquam reperitur*) Ita pro *nunquam* Pall. Mg. Par. Freculph. Rod. — *gens Adogit consistit*) In hanc lectionem consentiunt non libri tantum scripti omnes praeter Ambr. in quo *Adegit* legitur, sed etiam qui exscripserunt nostrum, nisi quod Freculphus disiunctim

sistit, quae fertur in aestate media quadraginta diebus et noctibus luces habere continuas, itemque brumali tempore eodem dierum noctiumque numero lucem claram nescire. Ita alternato mocrore cum gaudio beneficio aliis damnoque impar est. Et hoc quare? quia prolixioribus diebus solem ad orientem per axis marginem vident redeuntem, brevioribus vero non sic conspicitur apud illos, sed aliter, quia austrina signa percurrit, et qui nobis videtur sol ab imo surgere, illis per terrae marginem dicitur circuire. Aliae vero ibi sunt gentes Rerefennae, qui frumentorum non quaeritant victum, sed

---

gens quae dicitur a Dogit. At suspicatur Zeussius l. l. p. 685. latere fortasse in voce illa *Scritefinnorum* nomen, quod fugisse Iordanem, qui omnium optime cognitam habeat Scandzam, vero simile non esse. Hoc ut concedo, ita qui e Scritefinnorum nomine, depravatissimo quanquam eo, *Adogit* potuerit fieri, minime video. Scritefinnorum nomen si in qua corruptum lateret huius elocutionis voce, non tam in *Adogit* quaerendum existimarem quam in verbo *consistit,* ita ut legendum esset *gens degit Scritefinnorum.* At ductibus literarum ab hac etiam lectione nimis recedentibus, ut propositam a me coniecturam probem, tantum absum, ut in lectione vulgata acquiescam. Neque magis quam nostra, satis facit alia coniectura, qua *Arboga* legendum proponitur a Reichardo in: *Germanien unter den Römern* p. 167. Ceterum cur sollicet quis vocem tot librorum auctoritate communitam, non video. Inde enim, quod nobis incognita est gens illa *Adogit,* minime sequitur, nullam omnino eius nominis fuisse gentem et qualicunque modo nomen nobis inauditum in notius quoddam atque ab aliis memoratum esse mutandum. — *austrina signa percurrit)* Pall. cum Mg. Par. *austrinis signis.* — *illis — dicitur circuire)* Haec lectio a Rhenano profecta (nam ed. pr. *illos* habet) firmatur a Freculph. Mg. Par. Exc. — *circuire)* Mg. Par. *circuisse.* — *ibi sunt gentes) Sunt* addunt Pall. et ed. Par. — *Rerefennae)* Sic Pall. disiunctim quamquam, *rere Fennae,* quod in *gentes ferae, Fennae* mutavit in ed. sua Gruterus; *Refennae* Ambr. Monac. Florent. cum cod. Par. 5766. *Crefennae* cod. Vindob. 652. *Screrefennae* Mg. Par. *Crefennae* Epit. *Cresemiae* Bonf. *tres Crefennae* vulgo. At quamcunque harum elegeris vocum, minus obvium incognitumque habebis nomen: quare non defuere, quibus *Scritofenni*

carnibus ferarum atque ovis avium vivunt; ubi tanta

legendum videretur, ut Grotio Proleg. p. 4 et Lindenbrogio ad h. l. Est quidem *Scritofennorum* mentio apud Procopium B. G. II, 5. Paulum Diac. H. L. I, 5. necnon Adamum Brem. p. 21 ed. Elzev. nihilque magis in promtu quam credere, e *Scritefinnorum* nomine corruptas esse istas lectiones omnes, sed ἐπέχειν iubet Ravennas. Etenim quatuor is locis I, 11. IV, 12. 46. V, 28. distinguit Finnos in *Scirdefennos* (sic legitur I, 11. ceteris vero locis modo *Sirdefenni* dicuntur, modo *Serdefenni*) et *Rerefennos* (sic tribus locis, sed *Rerefreni* IV, 12.) unde Pall. satis firmari existimo lectionem, modo legas iunctim *Rerefennae*, quamquam Ravennatis lectiones corruptas iudicant Grotius l. l. Forsterus in: *Geschichte der Entdeckung. im Norden* p. 87. not. et Zeussius p. 685 quorum quidem primus scribi iubet *Scredfennos* et *Redefennos* i. e. Fennos sive Finnos, qui cursu et qui rhedis sive trahis utantur, alter vero, *Renefinnas*, quia tarandis victitent, Zeussius denique, *Terefennos*, *Trefennos*, haec de Iordanis Ravennatisque locis verba faciens: *Die* gentes Refennae *Codd. Monac. Ambr. al.* gentes Screrofennae, gentes tres Crefennae *sind ohne Zweifel die* Rerefenni *beim Geographus Ravennas, wofür sich als richtige Schreibung* Terefenni, Trefenni, *derselbe Name mit* Terfennas *bei Alfred (altn.* tré *Baum) verlangen lässt und im Text des Iornandes* gentes Trefennae, *aus dem* gentes tres Crefennae *verdorben zu sein scheint. Die Skridefinnen sind die Gebirgsfinnen, früher weiter im norwegischen Küstenlande verbreitet, die Terfennen die Bewohner der waldigen und wasserreichen Niederungen im Nordost und an der Küste bis zu den Permen, nach Others des Halogaländers, des ersten bekannten Umseglers des Nordkaps, Berichte.* Sed speciosa licet videatur Zeussii coniectura, in textum tamen admittere eam dubitavi, in lectione *Rerefennae*, firmata quippe ea codicum et Ravennatis auctoritate, acquiescens. Longe tamen, ut integritati suæ restitutum esse locum existimem, absum. Etenim mirum sane, Procopium, hominem Graecum, satis accuratam, ut illa aetate, Scandzae gentiumque et nationum eius habuisse notitiam, Iordanem vero, natione Gothum eumque, qui plura, quam alii de insula illa incolisque eius haberet comperta et memoraret, *Scritefinnorum* etiam nomen latuissue. Iam verbo ut dicam quod sentio, *Scritefinnorum* nomen vel excidit ob *Rerefennarum* nominis similitudinem vel a librario, qui eandem bis esse positam vocem perperam opinaretur, de industria est omissum, unde utrumque nomen coniunctum apud nostrum erit repraesentandum, quemadmodum iunctum apud Ravennatem quoque legitur. — *ovis avium vivunt)* Optima haec lectio debetur ed. Par. proxime accedit ad eam lectio Ambr. et cod. Par. 5766. *ovium aviumque vivunt:* in

paludibus foetura ponitur, ut et augmentum praestent generi et satietatem ac copiam genti. Alia vero gens ibi moratur Suehans, quae velut Thuringi equis utuntur eximiis. Hi quoque sunt, qui in usibus Romanorum sappherinas pelles commercio interveniente per alias innumeras gentes transmittunt, famosi pellium decora nigredine. Hi quum inopes vivant, ditissime vestiuntur. Sequitur deinde diversarum turba nationum, Theutes,

---

ceteris edd. vocis *ovorum* nec vola, nec vestigium. — *ut et augmentum*) Ed. Garet. *et ut augmentum.* — *augmentum praestent — ac copiam genti*) Ambr. *augeatum* et Pall. *adcupiam* pro *copiam.* — *Suehans*) Ita Pall. cum linea transversa supra eandem vocem. GRUT. *Suehans* praeferunt Freculph. quoque et Exc. sed *subveans* Ambr. *Suuehans* Mon. *Suethani* Epit. *Suetani* Bonf. *Suethans* edd. Recepi autem lectionem *Suehans* non solum, quia *Suiones* Tacito Germ. c. 44. *Sviar* Islandiae incolis, *Sueon* Anglo-Saxonibus iidem, sed etiam ob nomen *Swealand*, quam lacubus Wetter et Wener a septentrione sitam tenuisse quondam videtur gens illa. At lectionem *Suethans* tueri student Grotius et Geierus, quorum ille ita Proleg. p. 5. „quia — inquit — frequens est Germaniae gentibus inter duas vocales literam T, quam alii ut D pronunciare malunt, interponere, eo factum, ut apud Iornandem in Scanziae descriptione legamus *Suethans*,“ hic vero in: *Geschichte Schwedens* p. 38. *Suethans ist der schwedische Name in altgothischer Form (übereinstimmend mit Godans, Thiudans) und auch hieraus ersieht man, dass das* T *in dem Namen ein Wurzelbuchstabe sei.* Plura de etymologia et scriptura nominis dabunt Cluverius G. A. L. III. c. 41. Zeussius p. 157. not. 1. I. Grimmius *Gesch. d. d. Spr.* T. II. p. 743. — *Thuringi*) Ambr. *Thiringi.* — *in usibus*) Sic Pall. pro vulg. *in usus. sappherinas pelles — transmittunt*) Ita pro vulg. *Saphirinas* Pall. quorum ad lectionem proxime accedit Epit. *sapherinas*: est etiam, qui *samurinas* proponit legendum, quod non est opus. Audiamus modo Lindenbrogium ad h. l. „Harum pellium — inquit — mentio in veteri chronico Sangallensi L. I. p. 393. *pallium canum vel saphyrinum quadrangulum.* Ibidem L. II. p. 406. *Palliaque Frisonica alba, cana, vermiculata vel saphyrina.* Germani vocant *Sabelen.*“ — *quum — vivant*) Ita pro vulg. *vivunt* Pall. Mg. Par. Rod. Exc. — *Sequitur — turba*) Sic pro vulg. *sequuntur* Ambr. Mg. Par. Freculph. sed ed. Lindenbr. *sequuntur — turbae.* — *Theutes*) Sic Pall. codd. Vindob. 1. 2. Monac. Freculph.

Vagoth, Bergio, Hallin, Liothida, quorum omnium sedes sub humo plana ac fertili, et propterea inibi aliarum gentium incursionibus infestantur. Post hos Athelnil, Finnaithae, Fervir, Gautigoth, acre hominum genus et ad bella promptissimum. Dehinc mixti Evagerae Othingis. Hi omnes excisis rupibus quasi castellis inhabitant ritu beluino. Sunt et his exteriores Ostrogothae, Raumariciae,

Theustes Vindob. 3. *Themites* Epit. *Themices* Bonf. *Theusthes* vulgo. — *Bergio*) Vindobb. *Pergio*, Epit. *Pergiones*, Bonf. *Perdiones*. — *quorum — sub humo plana ac fertili*) Cod. Monac. *quorum omnium sedes sub uno plani ac fertilis*, Mg. Par. *quorum — sub una planicie ac fertiles*, unde legendum suspicatur Zeussius p. 506. *quorum — sub iugo glaciali fertiles:* sed v. ipsum. — *Athelnil*) Pall. codd. Vindobb. 1. 2. *Ahelmil*, Ambr. *Helmil*, Monac. *Bahelmil*, Bonf. *Alvuli*. — *Finnaithae*) Ambr. *Finnatrhe*, Epit. *Simaitae*, Bonf. *Fumaitae*. — *Fervir*) Epit. *Serviri*. — *Gautigoth*) Pall. *Gauthigoth*, Epit. *Gantigothi*, Bonf. *Scanthigothi*. — *mixti Evagerae Othingis*) Pall. *Mixi Evagre Otingis*, Ambr. *mixti Evagreo Tingis*, Monac. *Evagreotingin*, Vindobb. *Evagrae Otingis*, Mg. Par. *Evagrae*, Epit. *mixti Attingis Evagres*, Bonf. *Evagres Ottingis admixti*. Quae nomina pro corruptis habens Zeussius p. 505. ita exponit: *Es wird bei dem erwiesenen Verderbniss mehrerer Namen des Iornandes nicht zu kühn sein, in den zunächst aufgeführten* mixti Evagerae Othingis *die Namen Mauræ, Blecingi, Becigna (Blec.) eg and Meore bei Alfred (Or. p. 26), von denen der letzte als Landschaft* Bleking, Bleiking *bei den nordischen Schriftstellern,* Blekingia *bei Saxo, deren Einwohner* Pleichani *bei Adam von Br.* c. 215. *vorkommt, Bleking und More auf der südwestlichen Küste zu suchen.* *Othingorum* nomen Grimmio quoque l. l. T. I. p. 448. corruptum videtur et *Greothingis* censet legendum, quos interpretatur homines in regionibus montanis vel arenosis degentes, quod maxime quadrare in illa: *hi omnes — ritu beluino*. — *excisis rupibus*) Hanc lectionem praeferunt quidam libri teste Grotio Proleg. p. 3. et consentit Epitome. Vulgata tamen *exesis* nec ipsa plane spernenda; sic Virgilius Georg. IV, 419. *exesi latere in montis;* Silius It. III, 470. *adesi fragmina montis*: quibus locis add. Sil. It. III, 543. Senec. Troad. v. 832. *quasi castellis*) Ambr. *Casi Castellis*. — *Sunt et his exteriores*) Sic pro vulg. *ex his* Pall. et Ambr. *et Tethis* Mg. Par. — *Ostrogothae*) Ambr. *Hostrogothae*. — *Raumariciae*) Ita Pall. et Ambr. sed Epit. *Raumaricii*,

Ragnaricii, Finni mitissimi, Scandzae cultoribus omnibus mitiores; necnon et pares eorum Vinoviloth, Suetidi, cogniti in hac gente reliquis corpore eminentiores, quamvis et Dani, ex ipsorum stirpe progressi, Herulos propriis sedibus expulerunt, qui inter omnes Scandzae nationes nomen sibi ob nimiam proceritatem affectant praecipuum. Sunt quamquam et illorum positura Grannii, Augandziae, Unixi, Ethelrugi, Ariochi, Ranii, quibus non ante multos annos Roduulf rex fuit, qui contempto proprio regno ad Theoderici Gothorum regis gremium convolavit et, ut desiderabat, invenit. Hae itaque gen-

---

Bonf. *Ravaricii;* v. *Raumaricae.* — *Ragnaricii*) Sic pro vulg. *Raugnaricii* Pall. Ambr. Monac. Vindobb. Epit. sed Mg. Par. *Ragnarici.* — *Finni*) Ambr. *Finnu,* Epit. *Funi.* — *Vinoviloth*) Epit. *Umomolothi,* Bonf. *Vinovilethi.* — *Suetidi*) Sic Pall. codd. Vindobb. Exc. Bonf. *Snediti* Epit. *Suethidi* vulgo. — *cogniti*) Ita Pall. Ambr. Monac. Exc. a lectione vulg. *Cogeni* stant codd. Vindobb. Epit. Bonf. — *quamvis et Dani — praecipuum*) Mallem, relativo ante illa *ex ipsorum stirpe* posito, eodemque post *expulerunt* deleto, *quamvis et Dani, qui ex ipsorum stirpe — expulerunt, inter omnes — affectant praecipuum.* — *Grannii*) Mg. Par. *Aigrandi,* Epit. *Gravini.* — *Augandziae*) Sic Monac. necnon Pall. si recte seiungas, iungas et legas; praeferunt enim *Augandzi Eunixitaetelrugi;* Ambr. *Auganziae,* Vindob. *Acganzi,* Epit. *Ganzi,* Bonf. *Ganzii.* — *Unixi, Ethelrugi*) Pall. iunctim, ut modo monui, *Eunixitaetelrugi,* Monac. item iunctim *Unixitetelrugi,* ut sit fortasse legendum *Unixi et Etelrugi,* Vindobb. *Eunixi,* Mg. Par. *Unixi, Hethelrugi,* Epit. *Emirxi, Ethelrigi,* Bonf. *Eunixi, Ethelcugi.* — *Ariochi, Ranii*) Prius cusi *Arochiranni,* sed duas inde gentes fecere Pall. GRUT. Consentit cum Pall. Mg. Par. nisi quod *Rannii* exhibet; Monac. *Arochiraunii,* Vindobb. *Arochiránii,* Rod. *Arothi, Thanii,* Epit. *Arochiranii.* — *non ante multos annos*) Sic Pall. inepte vulgo *non ante omnes, sed ante multos annos.* — *Roduulf*) Ita pro vulg. *Rodulf* Pall. sed Epit. *Rodulfus.* — *Romanis — grandiores*) Ambr. cum Mg. ed. pr. *Germanis.* — *corpore et animo*) Ambr. *et corpore et animo.* — *pugnant beluina saevitia*) Sic mss. Pall. a manu emendatrice. nam initio scribebatur *pugnabant,* quod et ferri queat. GRUT. Eandem quam Pall. lectionem sistunt etiam Ambr. Mg. Par. Rod. nisi quod et ipsi *pugnabant* praeferunt, quod et in Mg. ed. pr. legitur. v. *infestae sævitia pugnae.*

tes, Romanis corpore et animo grandiores, pugnant beluina saevitia.

IV. Ex hac igitur Scandza insula quasi officina gentium aut certe velut vagina nationum cum rege suo Berig Gothi quondam memorantur egressi: qui ut primum e navibus exeuntes terras attigere, illico loco nomen dederunt. Nam hodieque illic, ut fertur, Gothiscandza vocatur. Unde mox promoventes ad sedes Ulmerugorum, qui tunc Oceani ripas insidebant, castrametati sunt eosque commisso proelio propriis sedibus pepulerunt, eorumque vicinos Vandalos iam tunc subiugantes suis applicavere victoriis. Ubi vero magna populi numerositate crescente, etiam paene quinto rege regnante post Berig, Filimer, filio Gandarici, consilium sedit, ut exinde cum familiis Gothorum promoveret exercitus. Qui aptissimas sedes locaque dum quaerit congrua, pervenit ad Scythiae

---

Cap. IV. *Berig*) Freculph. cum Exc. *Berich* et hic et infra; Rod. *Verio.* — *hodieque*) Ita pro vulg. *hodie* Pall. Ambr. Freculph. Exc. — *Gothiscandza*) Sic Ambr. *Gothis Candra* Mg. Par. *Gothi Scanza* Freculph. *Gotthiscandia* Rod. *Gothiscancia* Epit. cum Bonf. *Gothiscanzia* vulgo. — *vocatur*) Ambr. *dicitur.* — *ad* — *Ulmerugorum*) Rod. *Ulmerrugorum.* *applicavere*) Sic Freculph. cum Exc. *applicarunt* Rod. *applicuere* Mg. Par. cuius lectio, recepta a Vulcanio pro lect. edd. pr. *appellavere*, adhuc in edd. comparet. — *ubi vero*) Sic pro vulg. *ibi vero* Ambr. Freculph. Exc. — *Filimer*) Freculph. *Philuner*, Rod. *Philemer*, Bonf. *Philimer.* — *filio Gandarici*) Ad hanc lectionem etiamsi non duceret Exc. et Person. lectio *Filimer* — *filius Gandarici*, vel e cap. 24. ubi idem recurrit nomen nulla librorum scriptorum editorumve nominis discrepantia, *filius*que *Gandarici* idem dicitur *Filimer*, *filio Gandarici* legendum esse appareret. Multum autem h. l. variatur: Pall. *Filiogad*, Ambr. cum Vatic. *filio Radarigis*, cod. Vindob. 652. *Filoguda regis*, Mg. Par. *filio Hadarici*, Freculph. *filio Gadarigis*, Rod. *Gadaric*; v. *Filogud, Arigis.* — *consilium sedit*) Sic pro vulg. *consilio sedit* Ambr. (quomodo legitur apud Ammian. XIX, 7. *nobis sedit consilium*) non male tamen, si e libris, Rod. et Exc. *Filimer* — *consilium dedit.* — *dum quaerit*) Ita Pall. pro vulg. *dum quaereret.* — *Oium*) Sic Pall. et hic et

terras, quae lingua eorum Oium vocabantur: ubi delectato magna ubertate regionum exercitu, et medietate transposita pons dicitur, unde amnem transiecerat, irreparabiliter corruisse, nec ulterius iam cuiquam licuit ire aut redire. Nam is locus, ut fertur, tremulis paludibus voragine circumiecta concluditur, quem utraque confusione natura reddidit impervium. Veruntamen hodieque illic et voces armentorum audiri et indicia hominum deprehendi commeantium attestatione, quamvis a longe audientium, credere licet. Haec igitur pars Gothorum, quae apud Filimer dicitur in terras Oium emenso amne transposita, optatum potita solum. Nec mora, illico ad gentem Spalorum adveniunt, consertoque proelio victoriam adipiscuntur, exindeque iam velut victores ad extremam Scythiae partem, quae Pontico mari vicina est, properant, quemadmodum et in priscis eorum carminibus paene historico ritu in commune recolitur: quod et Ablavius, descriptor Gothorum gentis egregius, verissima at-

infra, necnon infra Mg. Par. item Freculph. *Ocum* Ambr. *omnium, oxin* Monac. *Oin* Epit. *Ovim* vulgo, quam lectionem exhibent quoque Exc. sed ita ut in Ekkehard. var. lectionibus et *Oium* repraesentetur. — *ubi delectato — transposita*) Ambr. *ubi delectatus est magna ubertate regionum; exercitus medietate transposita, pons* cet. Freculph. *ubi delectatus magna ubertate regionum, sed exercitus medietate* cet. Exc. *ubi delectatus magna ubertate regionum per pontem transposuit exercitum ultra quendam fluvium.* — *unde*) Freculph. cum Exc. *ubi*, quod correctoris magis, quam Iordanis manus videtur. — *transiecerat*) Ambr. *transegerat.* — *irreparabiliter*) Sic Pall. Ambr. cod Vindob. 652. Freculph. Exc. quod *miserabiliter* legitur vulgo, id a Vulcanio e Mg. Par. in textum inductum est: nam edd. pr. *inseparabiliter* exhibent. — *cuiquam licuit*) Ita restituit Rhenanus astipulante Freculpho pro lect. ed. pr. *cuique.* — *tremulis paludibus*) Rod. *paludibus tremulus.* — *optatum potita solum*) *Potiri* verbum cum et alias, ut cpp. 50. 55. Iordanis cum quarto casu struat, lectiones Ambr. *optata potiti terra,* atque Freculph. et Exc. *optato potiti solo* posthabendas esse duxi, ut quae correctorem oleant. *ad gentem Spalorum*) *Spalii* sunt Bonfinio. — *Pontico mari*) Freculph. cum Rod. *Ponto mari.* — *Ablavius*) Sic Pal. unus cum Exc. et Epit.

testatur historia. In quam sententiam et nonnulli consensere maiorum. Iosephus quoque, annalium relator verissimus, dum ubique veritatis conservat regulam et origines causarum a principio revolvit, haec vero, quae diximus, de gente Gothorum principia cur omiserit, ignoramus. Sed tamen ab hoc loco eorum stirpem commemorans, Scythas eos et natione et vocabulo asserit appellatos: cuius soli terminos, antequam aliud ad medium deducamus, necesse est, ut iacent, edicere.

V. Scythia siquidem Germaniae terrae confinis eotenus, ubi Hister oritur amnis, vel stagnus dilatatur

---

quomodo infra quoque cpp. 14. 23. nominatur idem: sed Pal. alter cum Ambr. *Aplavius,* Freculph. *Ablaunis,* Rod. *Abavius,* Bonf. *Albanius,* ed. pr. *Ablavias,* quod in *Ablavius* mutavit Rhenanus. Lectionem *Ablabius* primum exhibet ed. Leuncl. ex qua in insequentes est propagata. *Ablavius*ne vero an *Ablabius* legatur, perinde est, quum *b* et *v* literae saepissime permutentur. Variatur autem etiam apud alios in hoc nomine: sic apud Ammian. XX, 11, 3. *Ablabius* dicitur, qui idem *Ablavius* est Cod. Theodos. L. VII. tit. 22. n. 5. et Sidon. Apoll. L. V. ep. 8. — *Iosephus*) Mg. Par. *Ioseppus,* quod nec ipsum respuerim: sic enim nonnunquam dicebant veteres, ut docet Henr. Valesius ad ad Euseb. H. E. I, 10. — *conservat*) Sic ed. Par. vulgo *conseruit* legitur. — *Sed tamen*) Rod. *sed tantum.* — *Scythas eos* — *asserit*) Pronomen, quod vulgo abest ab edd. repraesentant Pall. Ambr. ed. Par. — *ut iacent, edicere*) Sic Pall. *adiacentes dicere* Ambr. *ut iacent, edisserere* Mg. Par. *uti iaceant, dicere* vulgo.

Cap. V. *ubi Hister oritur*) Iordanem, quum ipse h. c. infra, *in Scythia primam ab occidente gentem sedere Gepidarum* et c. 12 *in Alamannicis arvis exoriri Danubium* referat, Scythiam suam ad Danubii usque caput extendisse, minime est verisimile: quare *oritur* vox suspecta est mihi, legendumque indico *orditur,* ita ut id voluerit exprimere auctor, Scythiam patere ad eum usque locum, unde amnis ille deposito Danubii nomine Ister vocari inciperet. Nam binominem fuisse apud veteres amnem, notum est. De loco vero, ubi Danubii nomen in Istri transiret, quum non conveniret inter veteres ipsos, ut dilucidius fieret lectori, ubi ipsi Danubius Ister fieri videretur, addidit sequentia. — *stagnus* — *Morsianus*) Sic Pall. cum Mg. Par. *Morsia monte* Ambr. *stagnum Mursianum* Exc. *stagnum Musianum* ed. pr. quod in *stagnum*

Morsianus, tendens usque ad flumina Tyram, Danastrum et Vagosolam, magnumque illum Danaprum, Taurumque montem, non illum Asiae, sed proprium, id est Scythicum, per omnem Maeotidis ambitum, ultraque Maeotida per angustias Bospori usque ad Caucasum montem amnemque Araxem, ac deinde in sinistram partem reflexa post mare Caspium, quae in extremis Asiae

---

Mysianum a Rhenano mutatum in edd. omnibus visitur. Quam lectionem quum pro sincera haberent viri docti, alii aliter de *stagno Mysiano* commentati sunt. *Stagnus* autem dedi, non *stagnum*, quia facilius intelligitur, quare ex *stagnus* fecerint scribae *stagnum*, quam *stagnus* ex *stagnum*. *Morsianus* insuper exhibui, non *Mursianus*, quia et Pall. cum Ambr. id exhiberent eodemque duceret Ambr. lectio et *Morsa* pro *Mursa*, *Mursia* seu *Myrsa* plus semel legatur apud veteres, ut Sulpic. Sever. H. S. II, 38. et Fast. Cuspinian. ad a. 351. — *usque ad — Danastrum*) Mg. Par. *Daestrum*, Epit. *Danastrium*. — *Tyram, Danastrum*) Inter utrumque nomen nisi excidit *seu* particula, egregie fallitur h. l. Iordanis, *Tyram* distinguens a *Danastro*, quasi duo sint, cum unum idemque flumen sit *Tyras* et *Danaster*, diversa quamquam appellatione, illa antiquiore, hac recentiore (v. Ammian. XXXI, 3, 5. Cedren. T. II. p. 5.) vel usitatiore certe accolis. — *Vagosolam*) *Bagossolam* Geographus Rav. IV, 5. e nostro. — *illum Danaprum*) Sic pro vulg. *Danubium* Pall. cum codd. Monac. et Vatic. *aliud Danapirum* Ambr. *illud Damnaprum* Mg. Par. — *per — ambitum*) Pall. cum Ambr. *per — aditum*. — *quod — exoritur*) Relativum quaeque apta sunt ex eo verba ut ad Scythiam existimem pertinere, etiamsi Ravennas iam ita invenit in libro suo, (v. ips. L. IV. c. 1.) minime a me possum impetrare: referenda sunt potius ad mare Caspium legendumque *quod* et *tenui*, quam posteriorem vocem praefert Ambr. Etenim si Herodotum paucissimosque alios excipias auctores, pervulgata fuit veterum opinio (v. Casaub. ad. Strab. XI. p. 349. Hard. ad Plin. H. N. VI, 15. Ursin. ad Dionys. Perieg. v. 47. Tschuck. ad Mel. III, 5, 3. Cluver. G. A. L. I. c. 1. Ideler. ad Aristotel. Meteorol. I, 13, 29.) Caspium mare angusto fluento connecti cum Scythico seu septentrionali Oceano: quod qui statuit, ei efficit eam, quam Iordanis hic adumbrat, mare illud figuram. — *ab Oceano euroboreo*) Haec lectio primum visitur in ed. Leunclav. antiquioribus *Euroboro* praeferentibus; et bene habet, neque audiendi sunt, qui *Hyperboreo* legendum censent. Ad quam

finibus ab Oceano euroboreo in modum fungi primum tenuis, post haec latissima et rotunda forma exoritur, vergens ad Hunnos, Albanos et Seres usque digreditur. Haec, inquam, patria, ad est Scythia, longe se tendens lateque aperiens, habet ab oriente Seres, in ipso sui principio ad littus Caspii maris commanentes; ab occidente Germanos et flumen Vistulae; ab arctoo, id est septentrionali, circumdatur oceano, a meridie Persida, Albania, Hiberia, Ponto, atque extremo alveo Histri, qui dicitur Danubius ab ostio suo usque ad fontem. In eo vero latere, qua Ponticum litus attingit, oppidis haud obscuris involvitur, Borysthenide, Olbia, Callipoda, Cher-

enim analogiam conflatae sunt voces *euroauster* Aethic. ed. Wuttk. c. 21. *eurocercias* Vitruv. I, 6, 10. *euronotus* Colum. II, 2. et Apulei. de Mund. p. 62 ed. Elmenh. quin *euroaquilo* Act. Apostol. XXVII, 14 vers. vulg. quidni ad eandem *euroboreas* quis finxerit *euroboreus*que inde adiectivum derivaverit? Lexica quidem ignorant id vocis, quamquam ea suo auctore non est destituta; apud Vegetium enim R. M. V, 8. *caecias sive euroboreus* diserte praeferunt libri, uti testatur Scriverius; quare cur mutet hic quisquam, minime video. Quod ad rem, consentiunt cum nostro tum alii quos modo laudavi, tum Manilius Astron. IV, 647. — *Persida*) Sic ed. pr. eandem nominis formam legimus in Fastis Cuspin. ad a. 266. *captus Valerianus in Persida*; apud Aeth. c. 84. *deferant tibi Chaldaea et Persida plaustra*; apud eund. c. 107. *vicinae sunt Assyria, Media et magna Persida.* Lectio vulg. *Perside* a Leunclavio profecta est; sed v. quae mox annotata de talibus formis legentur. — *qui dicitur — fontem*) Romanis quidem nonnunquam, Graecis non item; dubito tamen, num Iordanis scripserit, quomodo in edd. legitur; alio videtur ducere lectio Epit. *extremo alveo Histri, qui Danubius dicitur ab ostio suo grandi tractu versus fontem cingitur.* — *in latere*) Sic pro *loci latere* Pall. — *qua — attingit*) Ita pro vulg. *quo* Pall. cum Mg. Par. sed Epit. *quod.* — *Borysthenide, Olbia*) Ambr. *Horistende, Olbia*, Mg. Par. vocibus male distinctis *Boristheni, Deolbia.* — *Callipoda*) Sic Pall. Ambr. et Epit. nisi quod *Calippoda* haec: *Calipoda* ed. pr. quod in *Callipode* primus mutavit Leunclavius — *Chersona*) Ita Ambr. et e nostro Ravennas IV, 3. V, 11. Epit. insuper et ed. pr. sed Pall. *Chersono,* nisi lectionem eorum operae vitiose expresserunt in ed. Grut. quod vulgo legitur *Chersone*, a Leunclavio

sona, Theodosia, Careon, Myrmicion et Trapezunta, quas indomitae Scytharum nationes Graecos permisere condere, sibimet commercia praestaturos. In cuius Scythiae medio est locus, qui Asiam Europamque ab alterutro dividit, Riphaei scilicet montes, qui Tanain vastissimum fundunt intrantem Maeotida, cuius paludis cir-

---

est, qui temere satis lectionem ed. pr. immutavit. Nam posteriores auctores ex accusativis locorum, qui Graeco more in *a* desinunt, faciunt nominativum, ut *Narbona*, *Persida*, *Chalcedona*, *Barcinona*, atque inde reliquos casus inflectunt, qua de re v. Salmas. ad Poll. Gallien. c. 8. Arntzen. ad Panegyr. X, 9, 4. Tzschuck. ad Eutrop. IV, 10. (23) Ded. ad Dict. I, 5. IV, 7. quique ibi laudantur. — *Theodosia*) Ambr. *Teudosia*. — *Careon*) Sic Pall. Ambr. Mg. edd. pr. et Par. cum Epit. nisi quod *Careone* haec: consentit in eandem lectionem qui nostrum sequitur Geographus Rav. IV, 3. V, 11. sed ed. pr. *Pareon* exhibet, quod in *Pareone* mutavit Leunclavius. Fuit quum *Carcine* coniicerem legendum, quam urbem in illis regionibus ponit Mela II, 1. recte tamen habere lectionem *Careon*, post modum succurrit. Intelligit enim Iordanis eam urbem, quae *Καρέα* sive *Καρέων πόλις* dicta Graecis, inde a seculo VI. nonnunquam memoratur, cuiusque nomen in totam illam peninsulam, Krimm hodie vocatam, transiisse videtur. Apponam de ea qui nunc unus succurrit, locum Laonici Chalc. L. III. p. 136. ed. Bonn. *οἱ μὲν οὖν ἐις τὸν Βόσπορον τὴν ταύτῃ χώραν ἐπινεμόμενοι - ἀνδράποδα ὡς πλεῖστα ἀγόμενοι ἐπὶ τὸν Βόσπορον, ἐπὶ Καρέαν πόλιν - καὶ ἐις τὴν Μαιώτιδα καλουμένην λίμνην ἀπάγοντες.* Ceterum cave, *Careone* ponas; est enim *Careon* genitivus pluralis, aptus ex oppido, quod ex *oppidis* repetendum. — *Myrmicion*) Sic Pall. *Mirmiceon* Ambr. *Mirmicone* Epit. *Mirmicion* ed. pr. cuius lectionem in *Myrmicione* mutavit Leunclavius; pessime, quum *Μυρμήκιον*, *Myrmecium*, *Myrmicium* casus sit absolutus; unde, nisi *Myrmicion* absolute positum statuas et ut indeclinale pro more illius aevi, *Myrmicio* legerim. — *Trapezunta*) Hanc lectionem revocavi ex ed. pr. pro vulg. *Trapezunte*, quae a Leunclavio est; Pall. *Trapeiuncta* praeferunt, Ambr. *Trapevincta*, Mg. Par. *Trapeianta*, Epit. *Trapecuncta*. — *Graecos — condere*) Pall. *Graecis*. — *circuitus passuum centum quadraginta quatuor*) Eundem numerum Epit. sistit; sed ed. Grut. *passuum millia centum sexaginta quatuor*; utro tamen modo legeris, multo minor numerus

cuitus passuum centum quadraginta quatuor millia, nusquam octo ulnis altius subsidentis. In qua Scythia prima ab occidente gens residet Gepidarum, quae magnis opinatisque ambitur fluminibus. Nam Tisia per aquilonem eius corumque discurrit; ab africo vero magnus ipse Danubius, ab eoo fluvius Tausis secat, qui rapidus ac verticosus in Histri fluenta furens devolvitur. Introrsus illi Dacia est, ad coronae speciem arduis alpibus emunita, iuxta quorum sinistrum latus, quod in aquilonem vergit, et ab ortu Vistulae fluminis per immensa spatia Venetarum natio populosa consedit. Quorum nomina

---

passuum est quam quem vulgo produnt veteres, sive Iordanis lapsu sive librariorum oscitantia. — *octo ulnis altius*) Mg. Par. *septem*, quam lectionem reciperem, si constaret, Polybium, quum sua conscriberet sive Cassiodorus sive Iordanis, obversatum esse oculis unius alteriusve: ille enim IV, 40, 8. *τὸ δὲ πλεῖστον αὐτῆς (Μαιώτιδος) μέρος ἐν ἑπτὰ καὶ πέντε ὀργυιαῖς ἐστιν.* — *subsidentis*) Hanc lectionem recepit primus e Mg. Par. Vul-canius, quum priores edd. *subsidentes*, quod Ambr. quoque praefert, exhibuissent. — *residet*) Sic Mg. Par. tempus praesens exhibent Exc. quoque et Epit. v. *sedit*; pessime. Quo enim tempore scribebat Iordanis, tenebant eas, quae hic describuntur, sedes Gepidae; cuius rei, ut aequales nostro, Procopium et Ioannem Lydum, omittam, ipse sibi testis est Iordanis infra cpp. 12. 22. 50. — *Tisia*) Sic pro vulg. *Tisianus* Pall. itaque expressum recurrit idem nomen infra c. 34. — *corumque*) Ita e Mg. Leuncl. vel Par. primus dedit Vulcanius, edd. vetustioribus *Chorumque* praeferentibus. — *ab eoo*) Sic pro vulg. *ab euro* Pall. cum Mg. Par. — *fluvius Tausis secat*) Pall. *Flutausis secat*, Mg. Par. *fluitans*, Geographus Rav. IV, 14. e nostro *fluvius Flantasis*, Epit. *Thausis*, quarum lectionum nullam bene habere, quivis videt. Igitur si coniecturae locus, ego Pall. maxime vestigiis insistens, divisis quae male iunctae in iis leguntur syllabis, *Fluta* et *usis*, dissolutisque quae coaluerant *Fluta* in *f. Aluta*, locum ita legerim *fluvius Aluta dissecat.* — *devolvitur*) Ed. pr. *divolvitur*; emendavit Rhenanus. — *ab ortu*) Mg. Par. *ab aestu*. — *Venetarum natio*) Sic Ambr. cum Monac. nisi mavis *Venetorum*, ut infra c. 23. sed Pall. *Venetharum*, Mg. Par. *Veneidarum*, Exc. cum Rod. *Venetiarum*, Epit. *undarum*, Bonf. *Unnidarum*;

licet nunc per varias familias et loca mutentur, principaliter tamen Sclaveni et Antes nominantur. Sclaveni a civitate Novietunense, et lacu, qui appellatur Mursianus, usque ad Danastrum, et in boream Viscla tenus commorantur: hi paludes silvasque pro civitatibus habent.

---

v. *Winidarum.* Ante hoc nomen *venit* verbum in edd. legitur, quod delevi, quippe incuria librariorum natum, qui initiales nominis proprii bis scripserint, et jubente Mg. Par. — *consedit*) Ambr. cum Exc. *considet.* — *Sclaveni*) Sic Pall. Monac. Mg. Par. Exc. sed Ambr. *Scaveni* semper; ed. pr. cum Epit. *Sclavani,* quod in *Sclavini* mutatum est a Rhenano, Rod. *Sclavi,* Bonf. *Sclavoni.* — *a civitate Novietunense*) Sic Monac. Vindobb. 1. 2. Vatic. necnon Pall. nisi quod hi disiunctim *a civitate Novi et Unense,* Ambr. *ad civitatem novi, et unense,* Mg. ed. pr. *novictunense,* Mg. Par. *a civitate novi et Avense,* Epit. *a civitate Nometinense,* Bonf. *a civitate Nometiniensi,* ed. pr. *a civitate novi et Sclavino Rumennense,* cui lectioni consentit Vindob. 3. nisi ex hoc ipso profluxit ed. pr. obsidebat autem ea omnes adhuc edd. nisi quod *nova* pro *novi* induxit Rhenanus. Vides igitur, una tantum auctoritate vulg. niti lectionem depravatamque eam non videri solum, sed esse: cuius depravationis causam haud improbabilem affert Dobrowskyus in: „*Slavin.*" p. 295. sq. ita disserens: „*In der Wiener Handschrift 237.* — inquit — *steht* slavani a civitate novietunense et lacu cet, *allein es ist, da das* o *im Mscr. leicht für* e *angesehen werden kann,* noviotunense *oder noch richtiger* novidunense, *da auch* et *und* d *leicht verwechselt werden können, zu lesen. Woher kamen also die Zusätze* Sclarum *oder* Sclavino-rum? *Ueber dem Wort* novietunense *schrieb einst Jemand zur Erklärung bei* Sclavorum *oder* Sclavinorum *etwa so:*

Sclavinorum Sclarum

a civitate novietunense *oder verkürzt* novietunense. *Daraus machten nun unverständige Abschreiber* a civitate novi et Scla Rumunense; *klügere endlich* a civitate nova et Sclavino-Rumunense." — *appellatur*) Ambr. *dicitur.* — *Mursianus*) Sic Ambr. cum Mg. ed. pr. *Mursiano* Pall. *Musianus* Monac. Vindobb. 1. 2. 3. et edd. *Nursiano* Mg. Par. *Morfianus* Epit. *Marsiano* Bonf. — *Viscla tenus*) Eadem recurrit nominis forma infra c. 17. Appellatur autem ita Vistula secundum slavicam formam *Wisla,* inserta c litera, ut Sclaveni pro Slavenis. Non tamen apud Iordanem primum invenitur haec forma, sed iam in Solini c. 20, 2. quibusdam libris, ut testatur Salmasius. — *commorantur*) Ambr.

Antes vero, qui sunt eorum fortissimi, qua Ponticum mare curvatur, a Danastro extenduntur usque ad Danaprum, quae flumina multis mansionibus ab invicem absunt. Ad litus autem Oceani, ubi tribus faucibus fluenta Vistulae fluminis ebibuntur, Vidivarii resident, ex diversis nationibus aggregati; post quos ripam Oceani item Aesti tenent, pacatum hominum genus omnino. Quibus in austro assedit gens Acatzirorum fortissima, frugum ignara, quae pecoribus et venationibus victitat. Ultra quos distenduntur supra mare Ponticum Bulgarum sedes, quos notissimos peccatorum nostrorum mala fecere. Hinc

---

commanentes. — *qua — curvatur*) Sic optime Vatic. Vindob. 652 (nisi quod hic, ut et Mg. Par. *quia* pro *qua*) Epit. Bonf. *qui ad Ponticum mare curvantur*, vulgo. — *usque ad Danaprum*) Ita pro vulg. *Danubium* Pall. Ambr. Mg. Par. sed Epit. cum Bonf. *Danatrum*, depravato *t* litera e *b*, quomodo exprimit nomen cod. Vindob. 652. — *ab invicem*) Ambr. cum Epit. *invicem*. — *absunt*) Ambr. *adsunt*. — *Vidivarii*) Sic Pall. a prima manu (nam correctum in altero *Virivarii*), sic Ambr. cum Mg. Par. *Indioarii* Epit. et Bonf. *Vidioarii* vulgo. De iisdem agit iterum Iordanis infra c. 17. ubi *gens vividaria* et *Vividarii* legitur sine ulla lectionis varietate, quamquam *vidivaria* et *Vidivarii* et illic legi vult I. Grimmius l. l. T. II. p. 720. — *item Aesti tenent*) Sic disiunctim Pall. et Bonf. nisi quod *Esti* hic; et ita legendum esse, vidit iam Cluverius G. A. L. III. c. 44. vulgo coalitis duabus vocibus *Itemesti*. — *in austro assedit*) Mg. Par. cum Epit. *in austrum adsidet*. — *gens Acatzirorum*) Ita Pall. et Mg. Par. nisi quod hic transposita una litera *Acatzriorum*, cod. Monac. *Accatzirorum*, Vindob. *Agazzirorum*, quomodo et vulgo legitur; Epit. *Agazirorum*, iam quod apud Geograph. Rav. IV, 1. e nostro legitur. Sed receptam veram esse lectionem, patet e Graecis ut Prisco, abs quo Ἀκάτζιροι plus semel vocantur. — *Bulgarum sedes*) Revocavi hanc lectionem ex edd. pr. et Par. *Bulgarorum* quod vulgo legitur a Vulcanio est. Est autem terminatio eius nominis duplex *Bulgari* et *Bulgares* eaque promiscua utitur Iordanis: *Bulgari* enim dicuntur eidem R. S. cpp. 111. 122. Variat in forma nominis et Marcellinus Com. ad ann. 499. 502. 530. contra *Bulgares* constanter vocantur iidem Cassiodoro Variar. VIII, 10. 21. et Chronic. ad a. 504. necnon Ennodio Panegyr. cpp. 5. 12.

iam Hunni quasi fortissimarum gentium foecundissimus cespes in bifariam populorum rabiem pullularunt. Nam alii Ultziagiri, alii Saviri nuncupantur, qui tamen sedes habent divisas: iuxta Chersonam Ultziagiri, quo Asiae bona avidus mercator importat, qui aestate campos pervagantur effusos, sedes habentes, prout armentorum invitaverint pabula, hieme supra mare Ponticum se referentes. Hunuguri autem hinc sunt noti, quia ab ipsis pellium murinarum venit commercium: quos tantorum

---

Ultziagiri) Sic unus Pal. infra, si non ad verum, proxime tamen ad verum. Videtur enim *Cutziagiri* legendum cum Zeussio p.715. ita ut hi sint iidem, qui *Κουτούργουροι* apud Graecos ut Procop. B. G. VIII, 5. 18. 27. vel *Κοτρίγουροι* Agath. V, 11. 12. 17. vel *Κοτζαγηροὶ* Theophyl. Sim. VII, 9. *Utriguri* vero suspicatur legendum Engelius in: *Gesch. der Bulgar.* Ceterum multum variant in nomine illo libri; Pall. hic quidem cum Ambr. Monac. et Mg. Par. *Altziagiri* praeferunt, sed infra unus *Ultziagiri*, ut modo monitum; Vindob. 1. *Altziagri*, Epit. *Alcioagri*, Bonf. *Alexiagyri*, ed. pr. hic quidem *Aulziagiri*, infra vero *Aulziagri*, quod et in edd. legitur: *Autziagiri* sistit infra Ambr. si distractas voces *aut Ziagiri* iunctim legas. — *Saviri*) Sic Pall. cum Monac. Florent. et Vindob. 477. sed Ambr. cum cod. Par. 5766. *Faviri*; v. *Aviri*, quomodo et Vindob. 652 a secunda manu, quum *avara* ante habuisset. Sunt autem *Saviri* iidem, qui *Οὖννοι οἱ Σάβειροι*, audiunt scriptoribus Byzantinis, Priscum dico, Procopium, Agathiam. — *sedes — divisas*) Sic pro *diversas* Pall. cum Ambr. — *iuxta Chersonam*) Ita Pall. Ambr. Epit. ed. pr. *Chersonem* quod vulgo legitur, a Leunclavio est, sed vid. annot. supra. — *qui aestate — pabula*) Haec est lectio vulgo recepta inde ab ed. pr. quam eo magis duxi retinendam, quo minus vel una variantium satisfacit. Praeferunt enim Pall. *quia aestate campos pervacant, effusas sedes, prout arm.* Ambr. vero, *quia egestate campos pervagantur effusis sedibus, prout armentorum invenerint pabula*, Epit. *qui aestate per campos diffusas habent sedes.* Pro *qui* exhibet *quia* Mg. quoque Par. — *Hunuguri*) Sic legendum cum Pall. et Monac. non, ut vulgo, *Hunugari* aut, ut Epit. *Hungari.* Sunt enim *Hunuguri* iidem, qui *Οὐννόυγουροι*, *Ὀνόγουροι* Prisco p. 158. et Agathiae III, 5. *Οὐννουγοῦνοι* Theophylact. VII, 8. *Οὐννουγοῦροι* eidem VII, 9. quorumque terra *Onogoria* dicitur apud Geograph. Rav. IV, 2. — *pellium murinarum — commercium*) *Mardurinarum* exhibet e

virorum formidavit audacia. Quorum mansionem primam esse in Scythiae solo iuxta paludem Maeotidem, secundo in Moesia, Thraciaque et Dacia, tertio supra mare Ponticum rursus in Scythia legimus habitasse: nec eorum fabulas alicubi reperimus scriptas, qui eos dicunt in Britannia vel in una qualibet insularum in servitutem redactos, et in unius caballi pretio a quodam ereptos. Aut certe si quis eos aliter dixerit in nostro orbe, quam quod nos diximus, fuisse exortos, nobis aliquid obstrepit: nos enim potius lectioni credimus, quam fabulis anilibus consentimus. Ut ergo ad nostrum propositum redeamus, in prima sede Scythiae iuxta Maeotidem commanentes praefati, unde loquimur, Filimer regem habuisse noscuntur. In secunda, id est, Daciae, Thraciaeque et Moesiae solo Zamolxen, quem mirae philosophicae eruditionis fuisse testantur plerique scriptores annalium. Nam et Zeutam prius habuerunt eruditum, post etiam

---

nostro Aeneas Sylvius in II. parte Asiae c. 29. p. 307. — *Quorum — habitasse*) Ita scripsisse Iordanem ut mihi persuadeam, multum absum: quid igitur si legas, expulso *esse* verbo, *quos mansione prima — secunda — tertia — legimus habitasse.* — *in — pretio*) Praepositionem, quam delevit Rhenanus, reduxi e Pall. Mg. Par. ed. pr. — *a quodam ereptos*) Sic Pall. Ambr. Mg. Par. (nisi quod hic *a* praepositionem omittit) et ed. pr. quanquam haec *quondam* pro *a quodam*. Minime autem opus est, ut *redemptos* legamus, quod a Rhenano in textum illatum adhuc edd. obsedit. Nam *eripere* verbum nostro idem valet quod liberare v. R. S. cpp. 61. 118. 121. — *Aut certe*) Fortasse *at certe.* — *in nostro — diximus*) Ambr. *in nostra urbe, quam, ut nos diximus*; pro *quam* Mg. Par. *quanquam* sistit. — *in — sede Scythiae*) Sic pro vulg. *parte* Pall. Ambr. Mg. Par. Freculph. Rod. Exc. — *iuxta Maeotidem*) Ambr. et ed. Par. *paludem* addunt. — *in secunda*) Ita pro *in secundo* Pall. Freculph. Rod. Exc. — *Zamolxen*) Sic primus dedit Vulcanius e Mg. Leuncl. vel Par. astipulante Roderico; in edd. pr. *Zalmoxen* legitur, quod et Exc. praeferunt; in Mg. Par. „*alias Zamolxen al. Salmoxen*“ in Epit. *Holmoxen.* — *mirae philosophicae eruditionis*) Freculph. Rod. Exc. *mirae philosophiae et eruditionis,* quam lectionem recepissem, si vel unus liber addixisset. — *Zeutam*) Freculph. et Exc. *Zeutem.*

Diceneum, tertium Zamolxen, de quo superius diximus. Nec defuerunt, qui eos sapientiam erudirent. Unde et paene omnibus barbaris Gothi sapientiores semper exstiterunt, Graecisque pàene consimiles, ut refert Dio, qui historias eorum annalesque Graeco stilo composuit. Qui dixit primum Tarabostes eos, deinde vocitatos Pileatos hos, qui inter eos genere exstarent, ex quibus eis et reges et sacerdotes ordinabantur. Adeo ergo fuere laudati Getae, ut dudum Martem, quem poetarum fallacia deum belli pronunciat, apud eos fuisse dicant exortum. Unde et Virgilius.

Gradivumque patrem, Geticis qui praesidet armis.

Quem Martem Gothi semper asperrima placavere cultura (nam victimae eius mortes fuere captorum), opinantes, bellorum praesulem apte humani sanguinis effusione placandum. Huic praedae primordia vovebantur, huic truncis suspendebantur exuviae, eratque illis religionis praeter caeteros insinuatus affectus, quum parenti devotio numinis videretur impendi. Tertia vero sede

---

— *habuerunt eruditum*) Exc. *eruditorem.* — *dixit Tarabostes eos*) Multum variatur in hoc nomine; lectionem receptam sistunt Pall. Ambr. Mg. Par. sed cod. Vindob. 652. cum Epit. *Tarabosteros,* Exc. *Tarabosteos,* quod recepit Lindenbrogius, Bonf. *Tarabostescos*; vulgo legitur disiunctim *Tarabos Tereos.* — *vocitatos*) Ambr. *vocatos.* — *qui — genere exstarent*) Sic pro vulg. *generosi extarent* Pall. sed Gruterus *exstabant* in sua dedit. — *nam victimae — captorum*) Parentheseos signo haec verba circumscribenda duxi. Inepte antea distinguebatur, *asperrima placavere cultura. Nam victimae eius mortes fuere captorum, opinantes* cet. — *victimae*) Mg. Par. *victimum.* — *opinantes*) Mg. Par. *opinantur.* *praesulem*) Mg. Par. *praesidem.* — *apte*) Sic pro vulg. *aptius* Pall. Mg. Par. Exc. — *primordia vovebantur*) Aeneas Sylvius et Bonfinius *primitiae* exhibent, nam tam, opinor, quod ita in libris suis deprehenderunt, quam quod aliena illius vocis significatione offensi, vocabulum vocabulo substituerunt. — *devotio numinis*) Ita pro vulg. *nominis* Ambr. et ed. Grut. — *Tertia vero sede*) Sic Pall. Rod. Freculph. hic tamen addita *in* praepositione; v. *tertia vero sedes.*

supra mare Ponticum iam humaniores et, ut superius diximus, prudentiores effecti, divisi per familias populi, Vesegothae familiae Balthorum, Ostrogothae praeclaris Amalis serviebant. Quorum studium fuit primum inter alias gentes vicinas arcus intendere nervis, Lucano plus historico quam poeta testante:

Armeniosque arcus Geticis intendite nervis.

Ante quos etiam cantu maiorum facta modulationibus citharisque canebant, Eterpamara, Amalae, Fridigerni, Vidigoiae, et aliorum, quorum in hac gente magna opinio est, quales vix heroas fuisse miranda iactat antiquitas. Tunc, ut fertur, Vesosis Scythis lacrimabile

---

divisi — populi) Exc. *divisis — populis.* — *Vesegothae*) Mg. Par. *Vessehotiae.* — *inter — vicinas*) Freculph. *inter vicinas gentes aliasque;* ab Exc. *alias* abest. — *intendite*) Revocavi hanc lectionem ex ed. pr. habent eam Ambr. quoque, Freculph. Rod. Exc. neque aliter legitur apud ipsum Lucanum VIII, 21. Lectio vulg. *intendere* primum in ed. Leuncl. visitur. — *Ante quos — cantu*) Sic edd. et unus Pal. sed alter *cantus.* Interim vulgatam retinendam duxi, quamquam depravatus mihi videtur locus. Quid enim est, ad quod referre possis illa *ante quos?* an ad Balthos et Amalos? Equidem mallem *antiquis etiam cantibus* vel *antiquo etiam cantu;* verba enim *ante quos* ex voce *antiquus* esse corruptum, liquere videtur ex Exc. in quibus legitur, *antiquorum etiam facta maiorum cantuum modulationibus* cet. — *Eterpamara*) Sic Pall. Ambr. cod. Par. 5766. sed Par. 5873. *Etherpamarae* Par. 1890. *Erpantanae*, Mg. ed. pr. *eterpamalae*, Mg. Par. *Etherpamara,* Ekkehard. *Erpantalæ*, pro quo in variis eius lectionibus visitur etiam *Arpantale, Expantanae, Erpantanæ;* v. *Ethespamarae.* — *Amalae*) Ita Mg. Par. dubium tamen, scriptone e libro an e Mg. Leuncl. utut tamen est, respuendam non duxi eam lectionem, quia mirum sane esset, si *Amalam,* clarissimae Amalorum gentis auctorem, cantibus non celebrassent Gothi, alios gloria inferiores celebrassent. Ceterum et hoc in nomine variatur; Ambr. *Hanalae,* cod. Par. 1890. *Hannalae* praefert, Exc. *Hannale;* vulgo *Hanalaè* legitur. — *Fridigerni*) Mallem *Fritigerni;* v. annot. ad c. 26. — *Vidigoiae*) Sic Ambr. nisi quod *c* pro *g*, quae literae in libris scriptis saepe permutantur; sed unus Pall. cum cod. Par. 1890. *Widigoiae,* alter Pal. *Widicoiae*, Mg. ed. pr. *Widigothae,* Exc. *Widigoie;* v. *Widiculae.* — *pinio est*) Ambr. *copia est.* — *Vesosis*) Freculph. *Vesozes*, Exc. *Vesoces,*

sibi potius intulit bellum, eis videlicet, quos Amazonarum viros prisca tradit auctoritas, de quibus feminis bellatricibus et Orosius in primo volumine professa voce testatur. Unde cum Gothis tunc dimicasse evidenter probamus, quem cum Amazonarum viris absolute pugnasse cognoscimus, qui tunc a Borysthene amne, quem accolae Danaprum vocant, usque ad Tanain fluvium circa sinum paludis Maeotidis considebant. Tanain vero hunc dico, qui ex Riphaeis montibus deiectus adeo praeceps ruit, ut, quum vicina flumina, sive Maeotis, vel Bosporus gelu solidentur, solus amnium confragosis montibus vaporatus, nunquam Scythico durescit algore. Hic Asiae Europaeque terminus famosus habetur. Nam alter est ille, qui montibus Chrinnorum oriens, in Caspium mare delabitur. Danaper autem ortus grandi palude, quasi

---

quod recepit Lindenbrogius. — *Amazonarum viros*) Hanc lectionem reduxi ex ed. pr. nam nomen eodem est formatum inflexumque modo, quo *Persida* supra et *Chersona*, *Chalcedona* infra cpp. 10. 20. et multa alia graecae originis nomina leguntur; itaque temere *Amazonarum* in *Amazonum* mutavit Leunclavius, temere retinuerunt qui post ediderunt Iordanem. — *de quibus feminis bellatricibus — testatur.*) Ita Ambr. sed correctio mihi magis videtur eius lectio, quam nostri manus: nam Mg. Par. et ab emendatione Pall. *de quibus et feminas* (nam prius eis fuerat *de quas et fem.*) et vulgo *de queis feminas*, quae lectiones veram in se continent, si suppleris quod excidisse vel absorptum potius esse videtur verbum; est autem id *esse*, quod post *professa* vocem positum ab eadem hausta est; unde legerim, *de quibus feminas bell. et Orosius i. p. v. professa esse voce testatur.* — *cum tunc dimicasse*) Sic Pall. pro vulg. *cum dimicasse.* — *quem — Danaprum vocant*) Ita Pall. Mg. Par. Ambr. in quo tamen *b* pro *p* legitur; pessime vulgo *Danubium.* — *solus amnium*) Ambr. *solus omnium.* — *Asiae Europaequae terminus*) Ita Pall. cum Mg. Par. *inter Asiam Europamque terminus* vulgo. — *montibus Chrinnorum oriens*) Epit. *Chrimmorum*, ed. Grut. *Chrunniorum*, sed *Chrinnorum* e codd. reponendum esse, ait ipse. *Chrinni* autem qui sint, quum apud alios nulla omnino eorum fiat mentio, vix dixerit quisquam. Quare *Chunnorum* coniecit legendum Lindenbrogius; non male. *Chunni* enim cen-

ex matre profunditur. Hic usque ad medium sui dulcis est et potabilis, piscesque nimii saporis gignit, ossibus carentes, cartilaginem tantum habentes in corporis continentiam. Sed ubi fit Ponto vicinior, parvum fontem suscipit, cui Exampheo cognomen est, adeo amarum, ut, cum sit quadraginta dierum itinere navigabilis, huius aquis exiguis immutetur, infectusque ac dissimilis sui inter Graeca oppida Callipodas et Hypanis in mare defluat. Ad cuius ostia insula est in fronte, Achillis nomine. Inter hos terra vastissima, silvis consita, paludibus dubia.

---

ties vocantur a scriptoribus, qui *Hunni* vulgo, ut docebunt Lindenbr. ad Ammian. XXXI, 8, 4. Pontacius ad Hieronym. Chronic. a. Valent. 14. Heinsius ad Claudian. Eutrop. II, 338. Accedit quod, ut e Procopio videre est, Hunni Saviri aliaeque huius gentis nationes circa Caucasum montem agebant, unde facile potuit fieri, ut *Chunnorum montium* nomine aliqua eius pars cognominaretur. Qua in Lindenbrogii coniectura si quis non acquiescat, *Chrindorum* possit legi, quorum mentio apud Ptolem. VI, 9, 5. κατανέμονται — inquit is — τῆς Ὑρκανίας τὰ ἐπὶ θαλάσσῃ Μάξηραι καὶ Ἀσταβηνοὶ καὶ ὑπὸ τοὺς Μαξήρας Χρῆνδοι. — *delabitur*) Sic legendum, non, ut vulgo, *dilabitur*. — *Danaper autem*) Ita pro vulg. *Danubius autem* Pall. Ambr. Mg. Par. Epit. nisi quod Mg. Par. *enim* pro *autem* et Epit. *Danuber*. — *quasi ex matre profunditur*) Sic pro vulg. *ex mari* Ambr. Epit. ed. Grut. firmat eam lectionem Mela, ex quo noster hausit, quanquam Danapro sive Borystheni adscribit, quod ille de *Hypani* praedicat. Legitur enim apud Mel. II, 1. *ex grandi palude oritur, quam matrem eius accolae appellant.* — *piscesque nimii saporis*) Pro *nimii eximii* coniecit Abr. Gronovius ad Mel. l. l. praeter necessitatem. Utuntur enim sesquioris aetatis scriptores illa voce ita, ut iis idem significet, quod vocabula maximus, ingens, excellens, praeclarus cet. quo de vocis illius usu v. Barth. ad Claudian. III. Cons. Honor. v. 51. Sitzmann. ad Rutil. I, 449. Gruner. ad Eutrop. X, 8. Exempla tamen ne aliunde petam, subministret ipse noster: *nimia prosceritas* c. 3. *flumen nimiae limpiditatis saporisque* c. 16. *nimium pavorem ingerere* c. 24. *nimia dilectione lugere* c. 30. quibus exemplis add. cpp. 36. 38. 55. R. S. 58. 59. — *tantum habentes*) Mg. Par. *tamen habentes*. — *Exampheo*) Sic iunctim Pall. et Mel. l. l. vulgo disiunctim, sed perperam, *ex Ampheo*. — *Hypanis*) Pall. *Hypannis*. — *paludibus dubia*) Rhenanus *uvida* coniicit; pessime.

VI. Hic ergo Gothis morantibus Vesosis, Aegyptiorum rex, in bellum irruit, quibus tunc Tanausis rex erat. Quo proelio ad Phasim fluvium, a quo Phasides aves exortae in totum mundum epulis potentum exuberant, Tanausis, Gothorum rex, Vesosi Aegyptiorum occurrit, eumque graviter debellans, in Aegyptum usque persecutus est, et nisi Nili amnis intransmeabilis obstitissent fluenta vel munitiones, quas dudum sibi ob incursiones Aethiopum Vesosis fieri praecepisset, ibi in eius eum patria exstinxisset. Sed dum eum ibi positum non valuisset laedere, revertens paene omnem Asiam subiugavit, et sibi tunc caro amico Sorno, regi Medorum, ad persolvendum tributum subditos fecit. Ex cuius exercitu victores tunc nonnulli provincias subditas contuentes et in omni fertilitate pollentes, deserto suorum agmine sponte in Asiae partibus resederunt. Ex quorum nomine vel genere Trogus Pompeius Parthorum dicit exstitisse prosapiam. Unde etiam hodieque lingua Scythica fugaces, quod est Parthi, dicuntur, suoque generi respondentes,

---

Cap. VI. *Vesosis*) Haec est lectio vulg. a qua stat etiam Person. sed ed. Par. *Vesogis* hic sistit, quanquam in ea *Vesosis* et supra c. 5. et infra legitur; Rod. *Vexores*, Exc. *Vesoces*, quod Lindenbrogius recepit, Epit. *Vestius*. — *Tanausis*) Sic pro vulg. *Taunasis* Pall. Ambr. Exc. *Thanaus* Epit. *Tanais* Rod. — *Quo proelio*) Nihil mutandum: *proelium* enim plus semel est nostro idem quod bellum; v. infra cpp. 16. 33. 36. R. S. cpp. 60. 61. Neque alios lapsae Latinitatis auctores illum vocis usum ignorare, docebunt Salmasius ad Spartian. Sept. Sev. c. 14. et Dederichius ad Dict. I, 15. — *in totum mundum*) Sic Pall. *in toto mundo* vulgo. — *epulis*) Ed. Lindenbr. *edulíis*, quod unde acceperit, me quidem fugit. — *praecepisset*) Ambr. *praecepit*. — *cum ibi positum*) Ita Pall. cum Rod. *eum semper ibi positum* vulgo. — *Sorno regi*) Sic Pall. cum Ambr. et Epit. sed Mg. Par. *Sormi regi*, Rod. *Sormo regi*, ed. Garet. *Sorno regi*; v. *Sorno rege*. — *subditos fecit*) Ita Pall. et Ambr. quod nisi statuas, *subditos* synesi satis nota hic locum habere, pro *subditum*, quod vulgo sistitur, *subditam* possit legi. — *victores*) Mallem *victore*. — *quod est Parthi*) Ambr. *id est Parthi*.

inter omnes paene Asiae nationes soli sagittarii sunt et acerrimi bellatores. De nomine vero, quod diximus eos Parthos, id est fugaces, ita aliquanti etymologiam traxerunt, ut dicerentur Parthi, quia suos refugere parentes. Hunc ergo Tanausim regem Gothorum mortuum inter numina sui populi coluerunt.

VII. Post cuius decessum exercitu eius cum successore ipsius in aliis partibus expeditionem gerente feminae Gothorum a quadam vicina gente tentantur in praedam. Quae doctae a viris, fortiter restiterunt, hostesque super se venientes cum magna verecundia abegerunt. Qua patrata victoria fretaeque maiori audacia invicem se cohortantes, arma accipiunt, eligentesque duas audaciores Lampeto et Marpesiam principatui subrogarunt. Quae dum curam gerunt, ut propria defenderent, et aliena vastarent, sortito Lampeto restitit, fines patrios tuendo, Marpesia vero feminarum agmine sumpto novum genus exercitus duxit in Asiam, diversasque gentes bello superans, alios vero pace concilians, ad Caucasum venit,

---

Cap. VII. *tentantur in praedam. Quae doctae*) Sic Pall. cum Ambr. neque aliter invenerunt in libris suis Excerptorum auctor, Rodericus, Persona: exhibet enim ille, *in praedam a vicinis gentibus tentabantur, sed doctae armis fortiter restitere*, alter autem, *a vicina quadam gente tentantur in praedam, sed illae a viris suis edoctae*, Persona denique, *tentantur in praedam, quae ut a viris suis doctae erant:* eodem ducit lectio Mg. Par. *temptantur in praedaque doctae:* pessime vulgo *tentatae, in praedamque ductae.* — *patrata victoria*) Ita Pall. Ambr. Mg. Par. et Person. cum ed. pr. sed edd. Par. ann. 1583 et 1588 *parta* exhibent, ed. a. 1579 *parata*, quae posterior lectio iam inde a Rhenano edd. obsedit. — *Lampeto*) Cod. Stuttg. *Lampedo*, quam lectionem, si libri scripti addixissent, recepissem. — *Marpesiam*) Mg. Par. *Marsepiam.* — *ut propria defenderent*) Mg. Par. *ut et patriam defenderent.* — *sortito — restitit, — tuendo*) Ita vulgo legitur, alio tamen ducunt Ambr. et Rod. quorum ille *Lampeto sorte restitit fines patrios tuendos*, hic autem *sorte Lampeto cepit fines patrios contuendos*, unde fortasse legendum *sorte Lampeto recipit* vel *recepit fines patrios tuendos.*

ibique certum tempus demorans, loco nomen dedit Saxum Marpesiae, (unde et Virgilius:

Ac si dura silex, aut stet Marpesia cautes)

in eo loco, ubi post haec Alexander Magnus portas constituens, Pylas Caspias nominavit, quod nunc Lazorum gens custodit pro munitione Romana. Hic ergo certum temporis Amazones commanentes confortatae sunt. Unde egressae et Alym fluvium, qui iuxta Gargaram civitatem praeterfluit, transeuntes, Armeniam, Syriam, Ciliciamque Galatiam, Pisidiam, omniaque Asiae oppida aequa felicitate domuerunt; Ioniam Aeoliamque conversae, de-

---

loco — dedit) Pall. *loci.* — *unde et Virgilius*) Sic Pall. cum Rod. *unde Virgilius* vulgo. — *unde et Virgilius — cautes*) Haec verba parentheseos signo includenda curavi. — *et Alym*) Ita primus dedit Leuncl. nam edd. pr. *et Alim* exhibent: in Pall. et Ambr. *et Alem* legitur, in Exc. *Etalem*, duabus vocibus in unam conflatis. — *iuxta Gargaram civitatem*) Haec est lectio Pall. et Ambr. neque abhorret multum ab ea lectio Mg. Par. *Gorgaram* et edd. atque Exc. *Gargarum*, ex qua finxit Leuncl. quod vulgo legitur *Garganum*. Si *Gargaram* ipse scripsit Iordanis, egregie fallitur, quum *Gargara* civitas (seu, ut pluraliter alii efferunt, Gargara, τὰ Γάργαρα) in Mysia Asiae sita fuerit neque quidquam ad *Halyn* fl. pertinuerit, ut abs quo multis distaret milliariis. Potest tamen, ipse ut ita scripserit Iordanis; qui quum *Gangram* apud auctores suos legisset, dum hoc nomen incognitum ipsi pro corrupto habet, simile aliud, vel e Virgiliana lectione ipsi notum, *Gargaram*, illi substituit. Quod si lectio *Gargaram* non est ab Iordane, *Gangrorum* vel, ut loqui solet noster (v. ad c. 30 ext.) *Gangrenam civitatem* legendum mihi videtur. Quae Paphlagoniae urbs etsi nec ipsa proxime et immediate, ut ita dicam, ad Halyn fl. sita fuit, non magis tamen absurde, nisi nimium presseris vim *iuxta* praepositionis, eam praeterfluere dici potest Halys, quam Dertonam *iuxta Iram. fl.* sitam esse dicit noster infra c. 45. quem tamen X millia pass. abesse ab urbe illa constat. Ceterum in indice quoque Conciliorum, etiam Labbei editionis, ad Halyn fl. posita esse dicitur *Gangra* sive *Gangre*. — *Pisidiam*) Ita primus dedit Vulcanius e Mg. Par. astipulante Rod. nam edd. pr. *Pisidium* tenent. — *Ioniam*) Ita mihi legendum videtur cum Rod. non *Ionium*, ut vulgo. Vix enim videtur probabile, nostrum

ditas sibi provincias effecerunt, Ubi diutius dominantes, etiam civitates castraque suo in nomine dicaverunt. Ephesi quoque templum Dianae ob sagittandi venandique studium, quibus se artibus tradidissent, effusis opibus, mirae pulchritudinis, condiderunt. Tali ergo Scythicae gentis feminae casu Asiae regno potitae, per centum paene annos tenuerunt, et sic demum ad proprias socias in cautes Marpesias, quas superius diximus, repedarunt, in montem scilicet Caucasum. Cuius montis quia facta iterum mentio est, non ab re arbitror, eius tractum situmque describere, quando maximam partem orbis noscitur circuire iugo continuo. Is namque ab Indico mari surgens, qua meridiem respicit, sole vaporatus ardescit; qua septentrioni patet, rigentibus ventis est obnoxius et pruinis. Mox in Syriam curvato angulo reflexus, licet amnium plurimos emittat, in Asianam tamen regionem Euphratem Tigrinque navigeros ad opinionem maximam perennium

---

Ionium dixisse, quem admodum *Barbaricum*, *Noricum*, *Celticum* dicitur. — *Ioniam Aeoliamque conversae*) Cave mutes: lectio recepta bene habet; est enim familiare Iordani, nomina regionum ut urbium struere: exempla suppeditabunt cpp. 13. 20. 31. 45 ext. 56. 57. R. S. cpp. 28. 39. 102. 104. 114. 119. Alios quoque ita esse locutos, monuit praeter alios Perizonius ad Sanct. Minerv. L. IV. c. 6. n. 1. 2. 3. — *suo in nomine*) Hanc lectionem, quam praepositione abiecta in *suo nomine*, quod Exc. quoque sistunt, mutavit Rhenanus, reduxi ex ed. pr. firmat Rodericus. — *condiderunt*) Ed. Grut. *condiderant*, vitio, ut videtur, operarum. — *Tali ergo Scythicae gentis feminae*) cet., Ambr. *tali ergo Scithiae genitae foeminae casu*, Mg. Par. *tales Scythia genitae*; unde legendum fortasse *tali ergo Scythia genitae casu*, ut illa *scythicae gentis feminae* nihil aliud sint, nisi interpretatio verborum *Scythia genitae*, quae margini primum ascripta, in ipsum contextum irrepsit. — *Is namque ab Indico mari*) Sic Ambr. cum edd. quae Vulcanii praegressae sunt. Is primus dedit *Caucasus ab Indico mari*, indeque in omnibus ita legitur edd. — *in Asianam tamen regionem*) Quid si legas *in Assyriam tamen regionem?* Ambr. *Vasianensem* praefert et Mg. Par. *tantum* pro *tamen*. *Tigrinque*) Sic restitui ex ed. pr. quum *Tigrimque* Rhenani temeritas

fontium copiosis fundit uberibus. Qui amplexantes terras Assyriorum, Mesopotamiam et appellari faciunt et videri, in sinum maris rubri fluenta deponentes. Tunc in boream revertens, Scythicas terras iugum antefatum magnis flexibus pervagatur atque ibidem opinatissima flumina in Caspium mare profundens Araxem, Cyrum et Cambysen, continuato iugo ad Riphaeos usque montes extenditur. Indeque Scythicis gentibus dorso suo terminum praebens, ad Pontum usque descendit, consertisque collibus Histri quoque fluenta contingit, quo amne scissus dehiscens, in Scythia quoque Taurus vocatur. Talis ergo tantusque et paene omnium montium maximus excelsas suas erigens summitates, naturali constructione praestat gentibus inexpugnanda munimina. Nam locatim recisus, qua disrupto iugo vallis hiatu patescit, nunc Caspias portas, nunc Armenias, nunc Cilicas, vel secundum locum qualis fuerit, facit, vix tamen plaustro meabilis, lateribus in altitudinem utrinque directis, qui pro gentium varietate diverso vocabulo nuncupatur. Hunc enim Imaum, mox Paropamisum Indus appellat; Parthus

---

in textum invexisset. — *Mesopotamiam et appellari faciunt*) Ed. Lindenbr. *Mesopotamiam appellari.* — *Scythicas terras*) Ita vetustissimae edd. et Grut. cum Person. quod vulgo legitur *Scythias terras* ex ed. Leunclavii in insequentes manavit. — *Cyrum*) Sic Ambr. nisi quod *i* literam pro *y* sistit: in Pall. *Cysum* legitur, vulgo *Cyssum.* — *Cambysen*) Est a Rhenano: nam ed. pr. *Cambisen* exhibet. — *quo amne scissus*) Sic pro vulg. *quo amnis scissus* Pall. Ambr. Person. — *in Scythia quoque Taurus vocatur*) Ambr. *in Scythia Taurus dicitur.* — *locatim*) Mg. Par. *paulatim.* — *recisus*) Ed. Par. *rescisus*, unde *rescissus* legerim, cui coniecturae favet quod sequitur verbum *abrumpere.* — *nunc Cilicas*) Nihil mutandum, quum *Cilix* adiective etiam usurpetur. — *qualis fuerit*) Mg. Par. *aequalem.* — *vix — meabilis*) Vocabulum *vix* non visitur in ed. Par. vix autem abesse eam posse, docet vel aperta Solini imitatio, qui ita c. 47, 1. de portis Caspiis: *latitudo vix est plaustro meabilis.* — *Hunc enim — edicit*) Hoc ex loco, nisi Solinus superesset, quem h. l. praeeuntem habebat noster, vix nos expediremus, quum in nominibus montium

primum Choatras, post Nifatem edicit; Syrus et Armenius Taurum, Scythae Caucasum ac Riphaeum, iterumque in fine Taurum cognominant; aliaque complura gentes huic iugo dedere vocabula. Et quia de eius continuatione pauca libavimus, ad Amazones, unde divertimus, redeamus.

VIII. Quae veritae, ne earum proles raresceret, a vicinis gentibus concubitum petierunt, facta nundina semel in anno, ita ut futuri temporis eadem die revertentibus in idipsum, quicquid partus masculini edidisset,

---

valde sit peccatum a librariis. Vulgo legitur: *Hunc enim Iamnium, mox Propanismum Indus appellat: Parthus primum castra post Nifacen edicit.* Sed pro *Iamnium* bene coniecit iam Peutingerus *Imaum*, proponentibus post eum eandem coniecturam Rhenano et Leunclavio: pro *Propanismum* Ambr. et Mg. Par. *Propanissum* praeferunt, unde *Paropamisum* legere pronum est geographiae antiquae perito. Pro *Nifacen* Pall. *Nifaten* exhibent, et Mg. ed. pr. *Nifatem;* pro *Castra* iidem Pall. *castrum*, sed a prima manu *castram*, qua in voce quid nominis lateat, vix assequatur quisquam coniectura, *Choatras* vero esse legendum, patet e Solin. c. 38, 12. cuius verba, ut quibus et ceterae coniecturae firmentur, adscribam: *Pro gentium ac linguarum varietate plurifariam nominatus* (Taurus), *apud Indos Imaus, mox Paropamisus, Choatras apud Parthos, post Niphates, inde Taurus.* Solinum igitur secuti legendum censuimus locum, quemadmodum exhibemus. — *edicit*) Hanc lectionem praeferunt quoque edd. Par. ann. 1579 et 1583. sed ed. Par. a. 1588. *edidit* sistit, vitio operarum, ut videtur. — *aliaque complura*) Mg. Par. *aliaeque complures*; male, quum de nominibus montis agatur, non de gentibus, quae denominent eum, ut apparet e Solin. l. l. *ad haec vocabula habet alia multa.*

Cap. VIII. *Quae veritae*) Ita omnes ante Vulcanium edd. qui primus relativum in *hae* demonstrativum mutavit. — *facta nundina*) Sic Rod. quoque, sed Ambr Mg. Par. Exc. Person. *factis nundinis*, quam lectionem a librariis iudico profectam, qui usitatam pro insolentiori ponerent vocis formam. — *ita ut futuri temporis eadem die revertentibus*) Ita Pall. Ambr. Mg. Par. nisi quod hic *eodem* pro *eadem* praefert, item Exc. parumque diverse Rod. *eadem die futuro tempore*; v. *ut futuris temporibus eis deinde revertentibus.*

patri redderet, quicquid vero feminei sexus nasceretur, mater ad arma bellica erudiret: sive, ut quibusdam placet, editis maribus novercali odio infantis miserandi fata rumpebant. Ita apud illas detestabile puerperium erat, quod ubique constat esse votivum. Quae crudelitas illis terrorem magnum cumulabat opinione vulgata. Nam quae, rogo, spes esset capto, ubi ignosci vel filio nefas habebatur? Contra has, ut fertur, pugnabat Hercules, et Menalippen plus dolo, quam virtute subegit. Theseus vero Hippolyten in praedam tulit, de qua genuit et Hippolytum. Hae quoque Amazones post haec habuere reginam nomine Penthesileam, cuius Troiano bello exstant clarissima documenta. Nam hae feminae usque ad Alexandrum Magnum referuntur tenuisse regimen.

IX. Sed ne dicas, de viris Gothorum sermo adsumptus cur in feminis tamdiu perseveret, audi et virorum insignem et laudabilem fortitudinem. Dio historicus et antiquitatum diligentissimus inquisitor, qui operi suo Getica titulum dedit (quos Getas iam superiori loco Gothos esse probavimus, Orosio Paulo dicente) — hic Dio regem illis post tempora multa commemorat nomine Telephum. Ne vero quis dicat hoc nomen a lingua Go-

---

pugnabat) Ambr. cum Mg. Par. *pugnavit.* — *Menalippen*) Ita Gruterus in sua exhibet, quamquam *Manalis pene* Pall. praeferunt: sed in Ambr. *Melanis pene* legitur, in edd. *Melanes pene*, quod posterius ad lectionem *Melanippen* ducit, quod nomen usitatius est etymologiaeque convenientius; sed enim quum *Menalippen* exhibeant et Iustinus II, 4, 23 et Orosius I, 15. quorum alterutrum Iordanis h. l. sequitur, receptam a Grutero lectionem et ipse exprimendam curavi. — *clarissima documenta*) Desideratur hic genitivus obiecti quem vocant et haud scio an exciderit *virtutis*, quae vox legitur tum apud Iustinum, tum apud Orosium II, 11. — *regimen*) Sic pro vulg. *regnum* Pall.

Cap. IX. *qui operi suo*) Abieci uncinos, quibus relativum in omnibus praeter Gruter. et Lindenbr. edd. inde a Leuncl. et Par. est circumscriptum. — *quos — dicente*) Haec verba Lindenbrogium secutus

thica omnino peregrinum esse, nemo est qui nesciat animadverti, usu pleraque nomina gentes amplecti, ut Romani Macedonum, Graeci Romanorum, Sarmatae Germanorum, Gothi plerumque mutuantur Hunnorum. Is ergo Telephus, Herculis filius natus ex Auge, sororis Priami coniugio copulatus, procerus quidem corpore, sed plus vigore terribilis, paternam fortitudinem propriis virtutibus aequans, Herculis ingenium formae quoque similitudine referebat. Huius itaque regnum Moesiam appellavere maiores. Quae provincia ab oriente ostia fluminis Danubii, a meridie Macedoniam, ab occasu Histriam, a septentrione Danubium habet. Is ergo antefatus habuit bellum cum Danais, in qua pugna Thessandrum, ducem

---

parenthesos signo inclusi. — *nemo — animadverti*) Pall. *animadvertat*, Ambr. *animadvertat tamen*: an legendum fortasse, inserta negativa expulsoque verbo *nesciat*, ut insiticio, *qui non animadvertat* vel *quin animadvertat*. — *gentes*) Ita primus dedit Rhenanus: nam ed. pr. *gentis* sistit. — *natus ex Auge, sororis Priami coniugio copulatus*) Sic interpungendum, sic legendum, non, ut vulgo *natus ex Auge sorore Priami, coniugio copulatus*. Nam mater Telephi, ut consensu tradunt veteres, Auge fuit, coniux vero eiusdem soror Priami, Astyoche nomine, ut praeter alios testatur Quintus Smyrnaeus VI, 135. sqq. Lectio *sororis* debetur Pall. et Exc. apud Roder. *sorori* legitur, quod nec ipsum spernendum. — *terribilis, paternam*) Ed. Par. *terribilis, qui paternam*. — *Herculis ingenium*) Sic pro vulg. *genio* Ambr. cum Mg. Par. sed Pall. *genium* repraesentant, intercepta, ut videtur, syllaba *in* a praecedente *is*; Roder. *genus*, Exc. *herculeis genibus*. — *similitudine*) Ita legendum esse coniecerunt iam Gruterus et Lindenbrogius: confirmat hanc coniecturam Rodericus; v. *similitudinem*. — *a septentrione*) Ambr. *ab Arctoo*. — *Thessandrum*) Mg. edd. Leunclav. et Par. necnon Rod. et Person. *Thersandrum* suggerunt; ad rem, optime, *Thersander* enim, Polynicis filius, a Telepho occisus traditur, ut narrat praeter alios Pausan. IX, 5. 7. non *Thessander*, qui enumeratur a Virgilio Aen. II, 261 Hyginoque fab. 108. inter eos, qui ex equo ligneo se promserunt. Neque tamen immutari licet lectionem vulgatam, quum et a Dicty II, 4. quem sequitur noster, *Thessandrus*, non *Thersandrus* a Telepho narretur interemptus vel po-

Graeciae, interemit; et dum Aiacem infestus invadit, Ulixemque persequitur, vitibus equo cadente, ipse corruit, Achillisque iaculo femur sauciatus, diu mederi nequivit; Graecos tamen, quamvis iam sauciatus, e suis finibus proturbavit. Telepho vero defuncto Eurypylus filius successit in regno, ex Priami Phrygum regis germana progenitus. Qui ob Cassandrae amorem bello interesse Troiano ac parentibus soceroque ferre auxilium cupiens, mox ut venit exstinctus est.

---

tius *Thessandri* nomen pro *Thersandri* sit positum: nam Dictys et ipse I, 14. 17. II, 2. Polynicis filium diserte vocat Thessandrum. — *Ulixemque*) Sic edd. pr. et Par. cum Exc. et Epit. lectio vulgata *Ulyssemque* a Vulcanio profecta est. — *vitibus equo cadente*) Vox *vitibus* vulgo quidem in edd. non comparet, sed Pall. cum ed. Par. addunt *vicibus* post *persequitur*, Roder. autem et Exc. *ictibus*, unde vitii aliquid h. l. latere, manifestum est. Lectio *ictibus*, quum non incommodum praebeat sensum, quanquam tolerari potest, vera tamen in *vicibus* magis sit quaerenda: cui insistens ego mutata una duntaxat literula *vitibus* lego. Nam praeterquam quod vite impeditum cecedisse Telephum plerique veteres tradunt, narrat idem, quem sua scribens noster ante oculos habebat, Dictys II, 3. *infestus* — inquit — *Aiacem invadit atque fugatis, quos adversum ierat, quum obstinate Ulixem inter vineas, quae ei loco adiunctae erant, insequeretur, praepeditus trunco vitis ruit.* *Equi* quidem nulla apud Dictyn mentio, sed hunc vitibus impeditum cecidisse cum sessore, famam fuisse inter veteres, apparet ex Eustath. ad Iliad. I, 59. et ex Eudoxiae Violeto v. *Τήλεφος* p. 395. *ὁ δὲ Τήλεφος*, — inquit iisdem plane verbis uterque — *ἀντικαταστήσας ἐποίησέ τε κακὸν καὶ ἔπαθε. πέπονθε μὲν τραῦμα δεινὸν ὑπὸ Ἀχιλλέως, ἀμπέλου ἕλικι συμποδισθέντος αὐτῷ τοῦ ἵππου κατὰ Διονυσίου πρόνοαν καὶ πεσόντος εἰς γῆν· ἐποίησε δὲ ἀπράκτους ὑποχωρῆσαι τοὺς Ἕλληνας.* Immiscuit itaque, ut in alienis fere solet, iis, quae e Dicty transscripsit, rem aliunde petitam Iordanis. — *femur sauciatus*) Sic Pall. cum Epit. Graecismo nostro et alias usitato ut infra c. 31. R. S. c. 89. v. *femore sauciato.* — *Eurypylus*) Sic lego cum Rod. et Grut. nam *Eurypilus* vulgo. Ambr. et Exc. *Euriphilus* habent, Mg. Par. *Eurephilus.* — *ac — cupiens*) Mg. Par. idem paucioribus verbis ita exprimit: *ut parentibus — auxilium ferret.*

X. Tunc Cyrus, rex Persarum, post grande intervallum et paene post sexcentorum triginta annorum tempora, Pompeio Trogo testante, Getarum reginae Tomyri sibi exitiale intulit bellum. Qui elatus ex Asiae victoriis, Getas nititur subiugare, quibus, ut diximus, regina erat Tomyris. Quae cum ab Araxe amne Cyri arcere potuisset accessus, transire tamen permisit, eligens armis eum vincere, quam locorum beneficio submovere; quod et factum est. Et veniente Cyro prima cessit fortuna Parthis in tantum, ut et filium Tomyris et plurimum exercitum trucidarent; sed iterato Marte Getae cum sua regina Parthos devictos superant atque prosternunt, opimamque praedam de eis auferunt, ibique primum Gothorum gens serica vidit tentoria. Tunc Tomyris regina aucta victoria tantaque praeda de inimicis potita, in partem Moesia, quae nunc a magna Scythia nomine mutuato, minor Scythia appellatur, transiens, ibi in

---

Cap. X. *Tunc*) Hanc vocem revocavi ex edd. quae Vulcan. praecedunt, hic primus omisit. — *Tomyri*) Sic Pall. cum Rod. eandem lectionem, sed aspirata *t* litera Ambr. et Mg. edd. Leuncl. et. Par. sistunt: Exc. *Thameris*, sed cod. Stuttg. *Thamiris*, quod et vulgo legitur. Neque haec apud alios lectio, quum varie efferatur nomen reginae illius scythicae (vid. VV. DD. ad Iustin. I, 8. Fabric. ad Oros. II, 7. Keuchen. ad Frontin. Strat. II, 5. 5. Tzschuck. ad Ampel c. 13) esset respuenda, apud nostrum tamen minime potest locum habere, quia refert paucis interiectis Iordanis, ex suo nomine *Tomes* civitatem condidisse reginam illam, quod sane, si *Thamiris* vera esset lectio, procedere non posset. — *exitiale*) Mg. Par. et Rod. *exitiabile*. — *victoriis*) Sic Pall. Ambr. Mg. Par. Epit. *victoria* vulgo. — *quibus — regina erat*) Ita Pall. Ambr. Mg. Par. sed vulgo *in quibus — regnaverat*, praepositione *in*, qua ed. pr. caret, addita a Rhenano. — *in tantum*) Ita Pall. Ambr. Mg. Par. *tanta* vulgo. — *vidit*) Sic pro vulg. *vident* Pall. Ambr. Epit. — *aucta*) Sic pro vulg. *acta* Pall. Mg. Par. Epit. et ita legendum esse, vidit iam Burmann. ad Claudian. Stilich. II, 216. apud Rod. *adepta victoriam* legitur, in ed. Lindenbr. *nacta victoriam*. — *quae nunc — appellatur*) Sic Pall. sed v. *quae nunc ex magna Scythia nomen mutuata, minor Scythia est appel-*

Ponti Moesiaco litore Tomes civitatem suo de nomine aedificavit. Dehinc Darius, rex Persarum, Hystaspis filius, Antyri, regis Gothorum, filiam in matrimonium postulavit, rogans pariter atque deterrens, nisi suam peragerent voluntatem. Cuius affinitatem Gothi spernentes, legationem eius frustrarunt. Qui repulsus, furore flammatus est, et septinginta millia armatorum contra ipsos produxit exercitum, verecundiam suam malo publico vindicare contendens; navibusque paene a Chalcedona usque ad Byzantium in instar pontium tabulatis atque consertis petit Thraciam et Moesiam; ponteque rursus in Danubio pari modo constructo, duobus mensibus crebris fatigatus

---

lata. — *in Ponti Moesiaco litore*) Sic optime Pall. cum Mg. Par. nisi quod hic *ponte* pro *Ponti* exhibet; Cod. Vindob. 652. *in Ponti Moesiaci litore*, Epit. *in Ponti litore*: pessime vulgo verbis et divulsis et depravatis *in ponte Moesiae colitur.* — *Tomes civitatem*) Ita Pall. et Mg. Par. nisi quod hic *th* pro *t* exhibet. Rod. *Tamer;* v. *et Thamiris civitatem.* — *Antyri regis*) Sic Pall. cum Epit. et ed. Lindenbr. necnon Ambr. ac Mg. Par. nisi quod hi *i* literam pro *y* sistunt; in Epit. *Antinus* legitur, apud Rod. modo *Ancirus,* modo *Anchirus;* ed. Grut. *Iancyri* exhibet, ex Iustin. II, 5, 8. ut videtur; v. *Antriregiri regis.* — *postulavit*) Ita Pall. Rod. Exc. Epit. *expostulavit* vulgo. — *peragerent*) Rod. *perageret.* — *furore*) Cod. Vindob. 652. *dolore.* — *flammatus*) Ambr. cum Epit. *inflammatus.* — *septingenta millia*) Hunc numerum sistunt Pall. Ambr. Rod. Exc. Epit. necnon quem noster hic sequitur sive Iustinus II, 5, 10. sive Oros. II, 8.; v. *octoginta millia.* — *a Chalcedona*) Sic Epit. omissa tamen aspiratione: eodem ducit lectio *Chalcedono* quam ut Pall. Gruterus exhibet, nisi hic operarum vitio ita apud eum est expressum: nam infra c. 20. *Chalcedonam* lectio ex iisdem promitur. Vulg. atque apud Rod. *Chalcedonia* legitur. — *in instar*) Sic Pall. cum ed. Vulcanii antiquioribus: is primus *ad instar* invexit. — *atque consertis*) Ita Pall. Mg. Par. Epit. necnon ed. Lindenbr. v. *aeque consertis.* — *intaphis*) Mg. Par. *in scaphis,* quae lectio non magis iuvat quam illa. Iam olim lectionem *intaphis* offendisse, id est indicio, quod quicunque exscripserunt nostrum, ut Rod. auctor Excerpt. Aeneas Sylvius, alii, omiserunt vocem illam ut corruptam aut ipsis non intellectam. Non defuere tamen, qui explicare eam aut emendare conarentur, alii aliam ingressi viam. Iam

intaphis octo millia perdidit armatorum, timensque, ne pons Danubii ab eius adversariis occuparetur, celeri fuga in Thraciam repedavit, nec Moesiae solum credens sibi tutum fore aliquantum remorandi. Post cuius decessum

---

primum Vulcanius subolere sibi videtur ductam esse illam vocem ab Italico *Intopo*, quod occursum illis significet, tametsi et hanc ipsam vocem Italos ut et Hispanos *Topat* a Gothis mutuatos esse existimat. Grotio vero est *intopa* invasio a *Zop* vel *Zup* Germanico, additque idem, manere vocem apud Longobardos esseque in glossario *Herisup*. Denique Cangius Glossar. med. et infim. Latinit. modo *intaphiis* aut *entaphiis* pro *intaphis* legendum censet, ut graecum ἐνταφίοις i. e. funeribus, expresserit Iordanis, modo coniicit cum Vulcanio, *intapham* vel *intaphum* a Iordane dictum pro Italico *Intoppo,* quanta sit *intaphorum* Iordanis cum *incursibus* Orosii (II, 8.) connexio qui non videat, existimans fore neminem. Hae quidem de illa voce virorum doctorum quotquot mihi innotuerunt sententiae: at ingenue ut fatear, nulla earum mihi satisfacit. Vel hoc concoquere non possum, qui factum sit, ut in tanta latinarum vocum, quibus incursus, impetus vel tale quid significatur, copia, ad barbaram confugerit Iordanis? quare, si ipsi commodum non succurrit vocabulum, vocem, ab Orosio suppeditatam, non retinuerit? Iam res aliter videtur aggredienda. Expressit quidem locum ad Orosii imitationem Iordanis, sed ita, ut, quod non raro facit in alienis, sua admisceret. Itaque hic addidit voces duas, quae nunc quidem coniunctim *intaphis* leguntur, disiunctim vero videntur legendae *in Tapis*, ut locus significetur, ubi rem male gesserit Darius. Postmodum autem quum vox *incursus* vel alia similis excidisset vitio librariorum, vocabula *in Tapis* vel *in Taphis* ut unam vocem accipientes eamque pro nomine appellativo habentes, ad quod *crebris* esset referendum, duas voces, quas non semper iunctim fuisse lectas vel lectio Mg. Par. *in scaphis* documento est, in unam contraxerunt. Quod si ita res habet, hoc modo legendus est locus: *crebris fatigatus incursibus, in Tapis* cet. *Tapae* autem quae sint, docebitur infra ad c. 12. — *octo millia*) Tot exhibet Rod. etiam, *VII milia* Ambr. Neque magnum numerum Aeneas Sylvius in cod. suo deprehendit, quum *nonnullos* amisisse e suis Darium in Epit. legatur. Contra auctor Exc. et Grut. *LXXX millia* sistunt, secuti, ut videtur, Iustinum aut Orosium. — *Moesiae*) Ita Rhenan. dedit; nam in ed. pr. *Misiae* legitur. — *remorandi*) Nihil mutandum quamvis *remoranti* legere in promptu sit; v. quae annotarunt VV. DD. ad Tacit. Ann. II, 43. quibus add. Ramsh. Gramm.

iterum Xerxes, filius eius, paternas iniurias ulcisci se aestimans, cum suis septingentis et auxiliatorum trecentis millibus armatorum, rostratas naves habens mille ducentas et onerarias ter mille, super Gothos profectus ad bellum, nec tentare in conflictu praevaluit, animositate et constantia superatus. Sic namque ut venerat, absque aliquo certamine suo cum rubore recessit. Philippus quoque, pater Alexandri Magni, cum Gothis amicitias copulans, Medopam, Gothilae filiam regis, accepit uxorem,

---

lat. §. 169. n. 4 et Zumpt. §. 663. — *septingentis*) Sic Pall. Ambr. Par. Rod. Exc. Epit. *septuaginta* Garet. *ducentis* vulgo. — *auxiliatorum*) Mg. Par. *auxiliariis*. — *rostratas naves — tria millia*) Ambr. manu tamen correctrice ut videtur, *rostratis navibus mille CC. onerariarum* III: eandem lectionem Mg. Par. sistit, nisi quod pro *onerariarum* in eo *oneratis* legitur: *mille ducentas* naves rostratas exhibent etiam Exc. et Epit. necnon Iustinus et Orosius, quos quum h. l. sequatur noster, numerum mille ducentarum in textum admittere non dubitavi: nam vulgo *mille septingentas* legitur. — *onerarias ter mille*) Ita legitur in ed. Grut. pro vulg. *onerarias tria millia*, quae lectio et ipsa possit ferri; v. quae annotata sunt ad c. 55. *nec tentare*) Sic Pall. Mg. Par. et ed. pr. nisi quod *templare* scriptum omnes exhibent. Quod vulgo legitur *nec tentata re*, ex ed. Rhen. in insequentes omnes fluxit. — *praevaluit*) Si genuina est lectio, *praevalere* nostro idem esse videtur quod alias *praesumere*. — *animositate*. — Ed. Par. *eorum animositate*. — *animositate et constantia*) Sic Rod. eodem ducit lectio Mg. Par. *constantia*, absorpta *et* copula ab ultima praegressae vocis syllaba. Quod quum in uno alterove cod. accidisset, casum sextum in secundum mutare pronum fuit librariis, ita ut lectio vulg. *animositate constantiae* exsiliret.— *Medopam*) Haec est lectio vulgo recepta, quae ex ed. pr. fluxit. Stant ab ea unus Pall. Ambr. Bonf. sed Exc. cum Rod. *Medumpam*, Epit. *Medompnam*; contra in altero Pal. et Mg. Par. *Medorum* legitur, ut verba sint, *cum Gothis amicitiam copulans Medorum*, quam lectionem Grut. in textum admisit. Ego quidem in vulgata ut librorum auctoritate satis firmata acquiescendum duxi, nisi quis *Medam* legere malit, quomodo audit, ut mox videbimus, apud Athenaeum illa Gothorum regis filia. — *Gothilae*) Pall. Mg. Par. Exc. Rod. *Gudilae*, Ambr. *Gadilae*, Epit. *Gothicae*. quarum lectionum primam, quum plurimorum librorum auctoritati nitatur illudque nomen ipsum satis frequens fuerit

ut tali affinitate roboratus Macedonum regna firmaret. Qua tempestate, Dione historico dicente, Philippus inopiam pecuniae passus, Odyssitanam Moesiae civitatem instructis copiis vastare deliberat, quae tunc propter viciniam Tomes Gothis erat subiecta. Unde et sacerdotes Gothorum illi, qui Pii vocabantur, subito patefactis portis, cum citharis et vestibus candidis obviam sunt egressi, patriis diis, ut sibi propitii Macedonas repellerent, voce supplici modulantes. Quos Macedones sic fiducialiter sibi occurrere contuentes stupescunt, et, si dici fas est, ab inermibus terrentur armati. Nec mora, acie soluta, quam ad bellandum construxerunt, non tantum ab urbis ex-

---

inter Gothos, ut patet e Cassiodor. Var. II, 18. V, 29. et Procop. B. G. II, 3. III, 30. recipere non dubitavissimus, nisi vetaret Athenaeus vel potius quem is exscripsit, Dicaearchus, quo Cassiodorus et ipse, nisi Athenaeum ipsum prae oculis ei fuisse malimus, usus esse videtur. Leguntur autem haec apud Athen. XIII, 5. p. 11. ed. Schweigh. *τὴν Θρᾴκην ὅτε εἷλε Φίλιππος, ἧκε πρὸς αὐτὸν Κοθήλας* (sic in vetustissimis membranis scribitur nomen teste Schweigh. T. VII. p. 10. non *Κιθήλας*, ut vulgo) *ὁ τῶν Θρᾳκῶν βασιλεὺς, ἄγων Μήδαν τὴν θυγατέρα καὶ δῶρα πολλά· γήμας δὲ καὶ ταύτην εἰσήγαγε τῇ Ὀλυμπιᾳ*; qui locus Athenaei, ut retinerem vulg. *Gothilae*, me movit; nam permutatio literarum *K* et *G* offendere neminem debet, quum ea haud sit infrequens apud veteres. — *Dione*) Ita dedit primus Rhenanus; nam in ed. pr. *Dio* legitur. — *Odyssitanam*) Sic optime Pall. quorum ad lectionem proxime accedit Epit. *Odisitanam*, sed Rod. *Odisicanam* exhibet, Bonf. *Odystanam*; v. *Udisitanam*. — *Tomes*) Ita Pall. cum Mg. Par. nisi quod hic et h. l. ut supra *th* pro *t* literam sistit. *illi qui*) Sic Pall. non, ut vulgo, *aliqui, illi qui*. — *Pii*) Suspicatur Stiernhelmus apud Thunmann in libro: *Untersuchungen über die alte Geschichte einiger nord. Völker* p. 46 n. d. scripsisse *Dii* Iordanem, quia *Diar*, *Dii* vocati sint sacerdotes Gothorum; idem coniicit I. Grimm l. l. T. II p. 818. — *patriis*) Sic Rod. Epit. ed. Grut. v. *paternis*. — *Macedonas*) Revocavi hanc lectionem ex edd. vetustioribus et Grut. quod vulgo legitur *Macedones*, primum in ed. Leuncl. comparet. — *terrentur*) Sic pro vulg. *tenentur* Pall. Ambr. Mg. Par. Rod. Epit. — *ad bellandum*) Sic Pall. cum Rod. *ad bellum* vulgo. — *excidio*) Haud scio an *obsidio*

cidio removere, verum etiam et quos foris fuerant iure belli adepti, reddiderunt, foedereque inito ad sua reversi sunt. Quem dolum post longum tempus reminiscens egregius Gothorum ductor Sitalcus, centum quinquaginta virorum millibus congregatis, Atheniensibus intulit bellum adversus Perdiccam, Macedoniae regem, quem Alexander apud Babyloniam ministri insidiis potans interitum, Atheniensium principatui haereditario iure reliquerat successorem. Magno proelio cum hoc inito Gothi superiores inventi sunt, et sic pro iniuria, quam illi in Moesia dudum fecissent, isti in Graeciam discurrentes, cunctam Macedoniam vastavere.

XI. Dehinc regnante Gothis Burvista Diceneus venit in Gothiam, quo tempore Romanorum Sylla potitus

---

legendum sit, quae vox et infra c. 56. cum *excidio* permutata reperitur. — *removere*) Hoc verbum non visitur in Pall. sed enim quum voces *non tantum* verbo suo non debeant destitui, neque *removere* absolute positum possit ferri, ego quidem, dum melius quid succurrat, legerim vel *aciem solutam* — *removere* vel *acie soluta* — *se movere* vel *se removere*, hausta voce *se* a prima proximi vocabuli syllaba vel etiam *movere* sine casu, quod non inusitatum esse docebunt Drakenb. ad Liv. X, 4, 9. et Fabri. ad eund. XXI, 32, 1. *quos — fuerant*) Ita ed. Grut. cum Epit. nisi quod haec *quae* pro *quos* sistit: melius fortasse; v. *quos-fuerunt*. — *Sitalcus*) Rectius *Sitalces* scribatur, quia Σιτάλκης idem est Graecis; consentientibus tamen in illam formam libris, vulgatam duxi retinendam. — *potans*) Ambr. *putans*. — *in Graeciam*) Rod. *in Graecia*.

Cap. XI. *Dehinc regnante Gothis Burvista*) Sic optime Pall. pro vulgato *dehinc regnante in Gothis Sitalco, Boroista Diceneus*, tamquam si Boroista idem vir esset qui Diceneus. Ceterum in Gothorum regis nomine multum discrepant libri: nam in Ambr. *Birrvisia* legitur semper, in Mg. Par. modo *Boroista*, modo *Burvista*; Freculph. *Boscurta* exhibet, Rod. *Borvista*, Exc. cum ed. Grut. *Borbista*, Epit. *Boroista*, Bonf. *Bostusca*. Lectionem autem Pall. ut reciperem, movit me Strabo, cui Βυρεβίστας est ille Gothorum rex Lib. VII, 3. p. 206. ed. Casaub. p. 76. Tauchn. et L. XVI, 2. p. 524. ed. Casaub. p. 375. Tauchn.

est principatu. Quem Diceneum suscipiens Burvista, dedit ei paene regiam potestatem; cuius consilio Gothi Germanorum terras, quas nunc Franci obtinent, depopulati sunt. Caesar vero, qui sibi primus omnium Romanum vindicavit imperium, et paene omnem mundum suae ditioni subegit omniaque regna perdomuit, adeo ut extra nostrum orbem Oceani sinu repositas insulas occuparet, et qui nec nomen Romanorum auditu quidem noverant, eos Romanis tributarios faceret, Gothos tamen, crebro pertentans, nequivit subiicere. Gaius Tiberius iam tertius regnat Romanis: Gothi tamen suo regno incolumes perseverant, quibus hoc erat salubre, hoc accommodum, hoc votivum, ut, quicquid Diceneus eorum consiliarius

---

quae nominis forma a *Burvista* non multum abhorret; *v* enim Graecorum quoties in *u* apud Latinos transeat, *b* autem in *v*, notius est quam quod multis probari sit necessarium. Ceterum, ut obiter id moneam, nec Strabo in scribendo nomine illo sibi constat: nam *Βοιρεβίστας* legitur apud eundem L. VII, p. 210. ed. Casaub. p. 85. Tauchn. — *Diceneus*) Haec est lectio vulgata, a qua stant etiam Pall. Freculph. Bonf. malim tamen *Decaeneus* quum *Δεκαίνεος* sit Straboni semper ut L. VII, 3. p. 76. 85. L. XVI, 2. p. 375. ed. Tauchn. In Ambr. Exc. Rod. Epit. *Dicineus* legitur. — *Quem Diceneum suscipiens Burvista*) Ita Pall. Freculph. Exc. quique ea hic sequitur Lindenbr. Et ita legendum esse, coniecit iam Casaub. ad Strab. VII, p. 298. Vulgo legitur *quem Diceneus suscipiens Boroista*, quam depravatam lectionem magis depravavit Leunclav. coniiciendo, *quem Diceneum suscipiens Boroistam Sitalcus.* — *Romanum*) Mg. Par. *Romanorum.* — *Oceani sinu*) Ed. Par. *in Oceani sinu.* — *occuparet, et qui nec nomen Romanorum auditu*) Mg. Par. *occupasset et nec nomine Romano audito.* — *pertentans*) Sic pro simplici *tentans* Pall. cum Freculph. Rod. Exc. — *subiicere*) Ita Pall. et Exc. *subigere* vulgo. — *incolumes*) Pall. *incolumi:* quae lectio si a Iordanis manu est profecta, vocem *incolumis* bifariam terminari putavit, quomodo vocabula *hilaris* et *hilarus*, *imbecillus* et *imbecillis* et alia multa. — *hoc accommodum, hoc votivum*) Sic Pall. cum Freculph. sed Mg. Par. *hoc ad commodum, hoc ad votivum*, Rod. et Exc. *hoc commodum, hoc votivum*; v. *aut commodum aut votivum.* — *omnem — philosophiam eos instruxit*) Ambr. et Exc.

praecepisset, hoc modis omnibus expetendum, hoc utile iudicantes, effectui manciparent. Qui cernens eorum animos sibi in omnibus obedire et naturale eos habere ingenium, omnem paene philosophiam eos instruxit: erat enim huius rei magister peritus. Nam ethicam eos erudiens, barbaricos mores compescuit; physicam tradens, naturaliter propriis legibus vivere fecit, quas usque nunc conscriptas Belagines nuncupant; logicam instruens, eos rationis supra ceteras gentes fecit expertos; practicen ostendens, in bonis actibus conversari suasit; theoricen demonstrans, signorum duodecim et per ea planetarum cursus omnemque astronomiam contemplari edocuit, et quomodo lunaris orbis augmentum sustinet, aut patitur detrimentum, edixit, solisque globus igneus quantum terrenum orbem in mensura excedat, ostendit, aut quibus nominibus vel quibus signis in coeli polo vergentes aut revergentes trecentae quadraginta sex stellae ab ortu in occasum praecipites ruant, exposuit. Qualis

---

in omni — philosophia eos instruxit, nisi quod ab Exc. *in* praepositio abest: sed magis correctoris haec lectio esse videtur quam Iordanis, qui *instruere* et hic et infra eodem struxit modo, quo *docere* vulgo struitur. Ceterum lectionem Exc. recepit Lindenbr. — *magister peritus*) Ita edd. Par. et Garet. *peritus* in ceteris edd. non comparet. — *ethicam*) Ambr. *et hic*, quae voces et ipsae contractae in unam et virgula super c litera posita *ethicam* conficiunt. — *erudiens*) Sic pro v. *erudivit* Ambr. — *barbaricos mores compescuit*) Sic Pall. Ambr. Freculph. nisi quod hic *barbaros*, non *barbaricos* exhibet; v. *ut barbaricos mores ab eis compesceret.* — *barbaricos mores compescuit*) Huic elocutioni addit Freculphus alia, quae neque in libris adhuc excussis visuntur, neque in edd. Iordanis comparent, de suone an pleniori libro usus, quis dixerit? Sunt autem haec: *carminibus et diversis cantibus animos demulcens eorum, studiosos reddidit: unde et carmina in ipsorum lingua adhuc exstant diversa ab eis composita.* — *Belagines*) Ita Pall. cum Bonf. *Belogiones* Ambr. *Bellagines* vulgo. — *ostendens*) Ita vulgo et unus Pal. sed alter *extendens*, quod recepit Gruter. — *trecentae quadraginta sex stellae*) Tot Pall. cum Ambr. ex-

erat, rogo, voluptas, ut viri fortissimi, quando ab armis quantulumcunque vacassent, doctrinis philosophicis imbuebantur? videres unum coeli positionem, alium herbarum fruticumque explorare naturas, istum lunae commoda incommodaque, illum solis labores attendere, et quomodo rotatu coeli raptus, retro reduci ad partem occiduam, qui ad orientalem plagam ire festinarit, ratione accepta quiescere. Haec et alia multa Diceneus Gothis sua peritia tradens, mirabilis apud eos enituit, ut non solum mediocribus, imo et regibus imperaret. Elegit namque ex eis tunc nobilissimos prudentioresque viros, quos theologiam instruens, numina quaedam et sacella venerari suasit, fecitque sacerdotes, nomen illis Pileatorum contradens, ut reor, quia opertis capitibus tiaris, quos pileos alio nomine nuncupamus, litabant; reliquam vero gentem Capillatos dicere iussit, quod nomen Gothi pro

---

hibent, sed Mg. Par. *CCXLVI.* tantum; v. *CCCXLIV.* — *voluptas*) Sic Pall. cum Ambr. v. *voluntas.* Utramque autem vocem saepe permutari in codd. docent quos laudat Drakenb. ad Liv. V, 6, 3. *quantulumcunque*) Ita Pall. Ambr. Mg. Par. pessime edd. ante Leunol. *quadrivium*; male, quae insecutae sunt *quatriduum*, quod ille primus in Mg. suae proposuit legendum. — *fruticumque*) Ita Ambr. cum Mg. Par. minus arridet lectio vulg. *frugumque:* harum enim naturam cognitam habuisse Gothos vix est quod dubites, illorum non item. — *labores*) Hanc Pall. lectionem vulgatae *laborem* praeferendam censui, quum pluralis numerus hac in re usitatior sit quam singularis; cf. Virgil. Georg. II, 478. Aen. I, 742. Plin. H. N. II. s. 9. — *retro reduci*) Post hoc verbum conspiciuntur in ed. Leunol. puncta aliquot, quibus indicetur excidisse aliquid: legendum fortasse *reducitur.* — *mirabilis*) Rod. *mirabiliter.* — *enituit*) Sic pro vulg. *invenitur* Pall. Ambr. Mg. Par. Rod. — *nobilissimos prudentioresque viros*) Sic legitur in ed. Grut. similiterque in Exc. *nobilissimos et prudentiores viros*; copula vulgo non comparet. Scheffero tamen in *Upsalia antiq.* p. 131. videtur legendum *elegit ex eis tunc nobilissimis prudentiores.* — *theologiam instruens*) Ed. Par. cum Rod. *ad theologiam instruens.* — *cantionibus*) Sic in Exc. quoque legitur vulgo, sed cod. Stuttg. *cantationibus* sistit. *reminiscuntur*) Ambr. *frequentant.* — *Comosicum*) Rod. *Eumosicum*, Exc.

magno suscipientes adhuc hodie suis cantionibus reminiscuntur. Decedente vero Diceneo paene pari veneratione habuere Comosicum, quia nec imparis erat solertiae. Hic etenim et rex illis et pontifex ob suam peritiam habebatur, et in summa iustitia populos iudicabat.

XII. Et hoc rebus excedente humanis Corillus rex Gothorum in regnum conscendit et per quadraginta annos in Dacia suis gentibus imperavit. Daciam dico antiquam, quam nunc Gepidarum populi possidere noscuntur. Quae patria in conspectu Moesiae sita trans Danubium, corona montium cingitur, duos tantum habens accessus, unum per Bontas, alterum per Tapas. Hanc Gothiam, quam Daciam appellavere maiores, quae nunc, ut diximus,

---

Cumosicum, Epit. *Commosicum.* — *imparis erat solertiae*) Sic Pall. ambo a manu correctrice antiqua, cum prius fuisset *impar erat solertiae* GRUT. Lectio recepta confirmatur Exc. quoque; v. *impar erat solertia.* — *summa*) Ita Pall. Ambr. Mg. Par. Rod. Exc. sed vulgo *sua,* quam utramque vocem et alias permutari annotarunt VV. DD. ad Cicer. orat. pr. Planco c. 1.

Cap. XII. *Corillus*) Pall. *Coryllus*, Bonf. *Sarillus.* — *sita*) Hanc vocem revocavi ex ed. pr. sistunt eandem Pall. et Ambr. cum Exc. et Epit. Primum desideratur in ed. Leunclav. indeque in insequentibus omnibus excepta Gruteriana. — *per Bontas*) Pall. cum Ambr. *Boutas*, Epit. *Ponthas*: unde *Pontes* fortasse legendum, nisi Iordanis iam aevo in *Bontas* vel *Boutas* corruptum erat nomen. Confirmat autem coniecturam a me propositam Procop. de Aedif. IV, 6. *πεποίηται — Τραϊανὸς τότε καὶ φρούρια δύο τοῦ ποταμοῦ ἐφ᾽ ἑκάτερα καὶ αὐτοῖν Θεόδωραν μὲν ἐπωνόμασαν τὸ ἐν τῇ ἀντιπέρας ἠπείρῳ, Πόντες δέ τὸ ἐπὶ Δακίας ὁμωνύμως τῷ ἔργῳ ἐκλήθη.* — *per Tapas*) Sic optime Pall. confirmatur eorum lectio a Dione Cassio LXVII, 10. et LXVIII, 8. quo utroque loco *ἐν Τάπαις* res bellicas Domitiano et Traiano imperantibus gestas esse memorat. In Ambr. *Zapas* legitur, vulgo *Tabas.* — *Gothiam*) Hanc lectionem ex ed. pr. reduxi: vulgata *Gothicam*, quam exhibet etiam Ambr. fluxit ex ed. Leunclav. indeque in ceteras est propagata. — *Gothiam, quam Daciam*) Mg. Par. *Dacia quam Gothiam* et haud scio an his verbis genuina insit lectio, ita ut legatur *Daciam quam Gothiam appellavere maiores.* Etenim prae-

Gepidia dicitur, tunc ab oriente Roxolani, ab occasu Iazyges, a septentrione Sarmatae et Bastarnae, a meridie amnis Danubii terminant. Nam Iazyges a Roxolanis Aluta tantum fluvio segregantur. Et quia Danubii mentio facta est, non ab re iudico pauca de tali amne egregio indicare. Nam hic, in Alamannicis arvis exoriens, sexaginta habet a fonte suo flumina usque ad ostia in Pontum mergentia, per mille ducentorum passuum millia

---

terquam quod nondum dixit, Daciam Gothiam esse vocatam, respicere videtur noster ad illa Orosii I, 2. *in medio Dacia, ubi et Gothia,* ita ut maiorum nomine Orosius sit intelligendus. Iuvat fortasse coniecturam Epitome, in qua legitur: *quae Dacia olim fuit, post Gothia dicta est, exinde Gepidia.* — *Gepidia*) Ita correxit Rhenanus: nam in ed. pr. *Gepida* legitur. — *Roxolani*) Haec lectio Rhenano debetur: nam in ed. pr. sicuti et in Pall. *Aroxolani* legitur: Ambr. *Arexolani* exhibet, Mg. Par. *Arozolani*, Epit. *Araxolani.* — *Iazyges*) Sic Pall. cum Ambr. nisi quod *i* pro *y* in hoc scriptum legitur: Mg. Par. *Taziges*; v. *Tamazites.* — *Bastarnae*) Haec etiam lectio a Rhenano est: nam in ed. pr. *Bastaenae* legitur; neque respuenda lectio Epit. *Basternae:* nam utraque nominis forma occurrit apud veteres. — *amnis Danubii*) Sic Pall. locutione et alias nostro usurpata ut supra c. 5. *flumen Vistulae*, infra c. 43. *flumen Ligeris* et c. 55. *amnis Danubii* iterum: quam quum h. l. non concoquerent librarii, inferserunt *fluenta*, quod non vulgo solum legitur, sed in Exc. etiam et Epit. — *terminant*) Mallem *terminabant* ob particulam *tunc.* — *Nam—segregantur*) Sic fere Pall. fere inquam, nam habent. *nam azyges ab Aroxolanis Aluta fluvio seg.* GRUT. Ambr. paene cum Pall. consentit; habet enim *nam Axiges ab Aroxolanis Aluta tamen fluvio: Aluta* in Mg. etiam Par. legitur. Vulgata lectio satis inepte, *Tamazites a Roxolanis alveo tantum fluvii segregantur.* — *Et quia*) Ita dedi, Gruterum secutus; v. *Sed quia.* — *egregio*) Sic Pall. cum Ambr. v. *egregia.* — *Alamannicis*) Ita exhibui praeeuntibus Mg. Par. et Grut. sed Ambr. *Alamagnicis* sistit, ed. Lindenbr. *Alemanicis;* vulgo et in Epit. *Almanicis* legitur. — *mergentia*) Hoc pro vulg. *vergentia* Ambr. exhibet, ut noster etiam loquitur infra c. 16. *ostia Danubii Ponto mergentia.* — *per mille ducentor. passuum millia*) Ambr. *per VCC.* In mendo cubare locum non est dubium, numeris quanquam non tam corruptis quam prave expressis. Ego crediderim, primitus scriptum fuisse *XII passuum millia* i. e.

hinc inde suscipiens flumina in modum spinae, quae costas ut cratem intexunt. Omnino amplissimus est, qui lingua Bessorum Hister vocatur, ducentis tantum pedibus in altum aquam in alveo habet profundam. Hic etenim amnis inter cetera flumina in magnum omnes superat praeter Nilum. Haec de Danubio dixisse sufficiat. Ad propositum vero, unde nos digressi sumus, adiuvante domino redeamus.

XIII. Longum namque post intervallum Domitiano imperatore regnante, eius avaritiam metuentes, foedus, quod dudum cum aliis principibus pepigerant, Gothi solventes, ripam Danubii iam longe possessam ab imperio Romano, deletis militibus cum eorum ducibus vasta-

---

duodecies centena passuum millia, quot etiam Gobelinus nostrum secutus exhibet. Proxime accedit ad hunc passuum numerum Aethicus p. 40. ed. Gronov. a. 1696, qui *undecies nonaginta octo millia* (ita enim legendum, non, ut vulgo, *undecies nongenta octoginta millia*) prodit. Et haud scio an Iordanis, quum sua conscribebat, Aethicum respexerit, sed ita, ut, quo rotundior fieret, numerum passuum paululum ampliaret. — *est qui*) Ab ed. Lindenbr. relativum abest. — *lingua*) Sic pro vulg. *in lingua* Pall. cum Epit. — *in alveo*) Sic pro vulg. *alveo* Pall. — *in magnum*) Sic Pall. sed Ambr. cum Mg. Par. *in magno;* v. *immanis*. — *adiuvante domino*) Ed. Grut. *iuvante domino*.

Cap. XIII. *Longum namque post intervallum*) Particulam *namque*, expulsam a Vulcan. e textu, reduxi ex edd. antiquis. — *Longum — regnante*) Ambr. *Longo namque post intervallo Domitiano imperante.* — *metuentes*) Mallem *intuentes*, ita ut significet Iordanis, stipendia illa quae donorum nomine acceperint Gothi (sive Daci), eis non satisfecisse aut cessasse etiam. Nam Domitianum dona regi illorum et misisse et mittenda in posterum in se recepisse tradunt Dio Cassius LXVII, 7. LXVIII, 6. et Zonaras XI, 21. Verborum autem *metuere* et *intueri* participia et alias commutantur, ut Nep. VII, 4, 1. X, 8, 1. — *deletis*) Sic Pall. Ambr. Rod. Exc. et Bonf. eodem ducit lectio Mg. Par. *delectis*. Vulgatam *deiectis*, si libri addixissent, retinuissem: quippe *deiicere* pro *prosternere*, *interficere* optime dici, docent Gronov. ad Tacit. Ann. IV, 25. ad Liv. XXII, 24. Burm. ad Phaedr. II, 2, 3. Drakenb.

verunt. Cui provinciae tunc post Agrippam Oppius praeerat Sabinus, Gothis autem Dorpaneus principatum agebat, quando bello commisso Gothi, Romanis devictis, Oppii Sabini capite absciso, multa castella et civitates invadentes de parte imperatoris publice depraedarunt. Qua necessitate suorum Domitianus cum omni virtute sua Illyricum properavit, et totius paene reipublicae militibus ductore Fusco praelato cum lectissimis viris amnem Danubium consertis navibus ad instar pontis transmeare coëgit super exercitum Dorpanei. Tum Gothi haud segnes reperti, arma capessunt, primoque con-

ad Sil. Ital. IX, 39. XV, 466. Deder. ad Dict. II, 43. — *Oppius*) Sic Ambr. cod. Monac. Mg. Par. Rod. Exc. Bonf. et recepit iam Lindenbr. Et verum istud esse viri nomen, docebunt VV. DD. ad Sueton. Domitian. c. 6. et ad Eutrop. VII, 15. (45). At Epit. cum edd. pr. et Par. *Pompeius* repraesentat, quo in nomine *Publius Oppius* latere videtur. Et *Publio* fuisse praenomen Sabino, patet e Tacit. Hist. II, 92. III, 36. si modo Sabinus a Tacito memoratus idem cum eo, de quo Iordanis h. l. loquitur. Quod vulgo legitur *Poppaeus* e Mg. ed. Leunclav. primum a Vulcanio in textum est admissum indeque praeter Lindenbr. omnes obsedit edd. Ita autem ut coniiceret Leunclav. eo videtur esse permotus, quod *Poppaei Sabini* apud Tacitum et Dionem plus semel est mentio. — *Sabinus*) Ambr. et cod. Monac. *Savicinus*. — *agebat*) Cod. Monac. *gerebat*. — *absciso*) Revocavi hanc lectionem ex ed. pr. pro vulg. *abscisso*, quod primus in sua exhibuit Rhenan. pessime sane. Nam aliud est *abscidere*, aliud *abscindere:* v. quae de discrimine frequentique confusione utriusque verbi disputant Gronov. ad Liv. XLIV, 5, 5. Duker. ad Flor. II, 2, 2. Drakenborch. ad Liv. XXXI, 34, 4. id. ad Sil. It. XV, 473. Rupert. ad eundem III, 552. — *Qua necessitate suorum*) His verbis annectunt Exc. *compulsus*, quod receptum legitur in ed. Lindenbr. Epit. *coactus* addit: utrumque praeter necessitatem. — *Illyricum properavit*) Vulg. in *Illyricum* a Rhenan. est: nam praepositio in ed. pr. non visitur neque opus est ea; v. annot. ad c. 7. — *lectissimis*) Sic pro vulg. *electissimis* ed. Grut. — *amnem Danubium*) Cod. Monac. cum Rod. et Exc. *amnem Danubii*, ut supra c. 12. sed vid. Zumpt. Gramm. Lat. §. 258. — *consertis*) Sic cod. Monac. Mg. Par. Rod. Exc. Bonf. et ed. pr. quod vulgo legitur *confertis*, Rhenanum habet auctorem. — *primoque con-*

flictu mox Romanos devincunt, Fuscoque duce exstincto divitias de castris militum despoliant, magnaque potiti per loca victoria, iam proceres suos, quorum quasi fortuna vincebant, non puros homines, sed semideos, id est Anses, vocavere. Quorum genealogiam ut paucis percurram, ut quo quis parente genitus est, aut unde origo accepta, ubi finem efficit, absque invidia, qui legis, vera dicentem ausculta.

XIV. Horum ergo heroum, ut ipsi suis in fabulis referunt, primus fuit Gapt, qui genuit Hulmul, Hulmul

---

flictu) Ita Pall. cod. Monac. Rod. Exc. vulgo verbo amplius *primoque armati conflictu.* — *despoliant*) Cod. Monac. cum Rod. *spoliant.* — *proceres suos quorum quasi fortuna vincebant*) Sic Pall. Amb. cod. Monac. necnon Mg. Par. nisi quod ab hoc vox *quasi* abest; v. *proc. s. quasi qui fort. vincebant.* — *Anses*) Pall. *Ansis*, Epit. *Ausis.* — *Quorum — ausculta*) Vitiatum esse locum, apparet. Quare eiecta, ut fecit iam Lindenbr. *ut* particula post *genealogiam*, et *vel* vocabulo, quod Ambr. cum Mg. Par. suppeditat, loco vocis *ut*, ante *quo* positae, collocato, atque inducto *effecit*, quod sistunt Pall. pro vulg. *efficit*, locum ita legerim interpunxerimque: *Quorum genealogiam paucis percurram vel quo quis parente genitus est aut unde origo accepta, ubi finem effecit. Absque invidia* cet. Aliam viam ut locum emendaret ingressus est Guil. Grimm. in: *Heldensage* p. 25. inserit enim post illa *finem efficit* verbum *percipiatur.*

Cap. XIV. *heroum*) In vulgg. deest haec vox, sed praeferunt eam Ambr. Mg. Par. Exc. Epit. quam ut admitterem in textum, movit ipse me Iordanis, qui modo *semideos* proceres Gothorum vocatos esse dixerit; et heroes quid aliud nisi semidei? — *ut ipsi — referunt*) Sic Pall. cum Mg. Par. (in ed. tamen a 1588 *ipsis*, typothetae lapsu) *ut ipsis in suis fabulis refertur* Ambr. *ut ipsi suis fabulis ferunt* vulgo. — *Gapt*) In hanc scripturam consentiunt omnes praeter Exc. quae *Capul* praeferunt. Neque tamen desunt qui corruptum iudicent nomen, sed alii aliam ad medendum corruptelae viam sunt ingressi. Iam primum Ludwig. in *Vita Iustiniani* p. 407. *p* litteram expungendam censet, ut primus illorum heroum idem sit, qui *Gatt*, *Gott*, unde gens appellata. Ekendahl. vero in: *Geschichte des schwed. Volks und Reichs* T. I. p. 33. suspicatur, *Gapt* idem esse quod *Gaut*, variata tantum scribendi pronunciandive ratione repetitumque hic cerni antiquum illum receptumque

vero genuit Augis, at Augis genuit eum, qui dictus est Amal, a quo et origo Amalorum decurrit; qui Amal genuit Isarna, Isarna autem genuit Ostrogotha, Ostrogotha genuit Hunvil, Hunvil item genuit Athal, Athal

---

apud omnes fere gentes morem, auctorem generis eum, qui ipsius nomen gentis ferat, fingendi. Quod ad hanc quidem attinet sententiam, mirum ei quodammodo assensum praebet Etymologici M. auctor. *Γοῦϑος* — inquit — *ὁ ἄρχων Σκυϑῶν τῶν καλουμένων Γούτϑων· ἔοικε γὰρ ἀπὸ τοῦ ἡγεμόνος αὐτῶν κληϑῆναι τὸ γένος· τὰ γὰρ πολλὰ ἔϑνη ἀπὸ τῶν ἡγεμόνων καλοῦνται.* Pariter atque Ekendahl. corruptum existimat nomen Guilm. Grimm. l. l. p. 25. sq. eodemque modo medetur corruptelae, ita verba faciens genealogia Amalorum proposita: *Auch hier sehen wir historische Könige in Helden des mythischen Zeitalters, in Götter übergehen; unter allen ist es der erste Ahne, sicher ein* Ans, *der unsere Aufmerksamkeit in Anspruch nimmt. Mir scheint* Gapt *aus* Gavt, Gaut *verderbt.* (Not. *Das goth.* u. *könnte leicht durch v* (y) *ersetzt und dieses mit* p *vertauscht werden; gerade wie das ags.* v *mit* p *in den Schreibungen* Pubba, Godpulf.) *Diess zugegeben, ist* Gaut *kein anderer als der ags.* Géat, *auf dem in den ags. Genealogien vorzugsweise und ausdrücklich der Begriff der Göttlichkeit ruht. Nach der* Edda (Saem. 47 b) *war aber* Gautr *ein blosser Beiname* Odhins *und dieser kann als eine spätere Wiedererscheinung desselben göttlichen Wesens betrachtet werden.* Gáuts, Géat, Gautr, *ahd.* Gôz *steht demnach an der Spitze des in Lied und Sage berühmten Geschlechts der* Amelunge. Idem quod Grimm. de nomine *Gapt* sive *Gaut*, iudicat Müller. in: *Geschichte und System der altteutsch. Religion* p. 180. — *Hulmul*) Ita Pall. Ambr. Bonf. *Humal* Mg. Par. *Ulmal* Exc. *Halmal* Epit. et vulgo. — *Augis, at Augis*) Sic ed. Par. neque aliter auctor Exc. in libro suo, quanquam particula *at* cum praegresso nomine in unam vocem coalita, reperisse videtur, unde enata lectio eorum *genuit Anguisath*, *Anguisath genuit eum* cet. Ceterum pro *Anguisath* in cod. Stuttg. *Angusath* legitur. — *Amal*) Sic Ambr. cum Epit. et Pall. nisi quod hi *Hamal* aspirate, *Amala* Exc. et vulgo. — *qui Amal*) Sic Ambr. et ed. Grut. *Et Amala* vulgo. — *genuit Isarna*) Exc. *Hisarnam*, Bonf. *Isaruem*, ed. pr. et Epit. *Isarnam*. — *Ostrogotha*) Ed. pr. *Ostrogotham*, Epit. *Astogotha*. — *Hunvil*) Sic Pall. cum Ambr. nisi quod hic *n* duplicato, *Hunul* Exc. *Hununil* Epit. *Hemul* Bonf. *Unilt* vulgo. — *Hunvil item genuit*) Sic Pall. *item* particula vulgo abest. — *Athal*) Epit. *Atal*. —

genuit Achiulf et Oduulf, Achiulf genuit Ansilam et Ediulf, Vultuulf et Hermenerig, Vultuulf vero genuit Valaravans, qui genuit Vinitharium, Vinitharius quoque genuit Vandalarium, Vandalarius genuit

---

Achiulf et Oduulf) Illud *et Oduulf* nunc primum accedit editis libris. prius male defuit. visitur enim in utroque Palatino. GRUT. Suppeditant illud nomen et alii libri, diverse quanquam expressum; Ambr. enim cum Epit. *Odulf*, Exc. *Odiulf*. — *Ansila*) Epit. *Ansula*. — *Ediulf*) Epit. *Edulfum*. — *Vultuulf et Hermenerig*) Sic Pall. sed Ambr. *Vulfuulf et Hermeneric*, Exc. *Vvituulf* (sed cod. Stuttg. *Vvitulf*) *et Hermenricum*, Epit. *Weculfum et Hermenerichum*, Bonf. *Vultulphum et Emerverigem*, ed. Grut. *Vulduulf et Hermannerug;* v. *Vuldulf et Hermerich*. — *genuit Valaravans qui* cet.) Sic Ambr. sed Exc. *genuit Walaradantem*, *Walaradans*, Epit. *Valamarantem*, *Valamaras autem*, Bonf. *Valaraevantem*, *Valaravas*; v. *Valeravans*, *Valeravans autem*. — *Vinitharium*) Sic Pall. cum Ambr. nisi quod in hoc *t* littera aspiratione caret; Exc. *Hiarium* (cod. Stuttg. *Hiarrum*) *et Venetharium*, Epit. *Winicharium*, Bonf. *Vevetharium*; v. *Vvinitharium*. — *Vinitharium — Vandalarius genuit*) Sic etiam Palatini, cum prius *Vandalarii* istius nec vola compareret, nec vestigium in genealogia hac heroica. Iidem tamen codices scripti expresserunt praeterea *Vinitharium, Venetharius quoque genuit Vandalarium* cet. quod monui, ut si cui libeat inquirere in etymologias nominum, habeat ipsissimam membranarum scripturam. eaedem nihilo minus servant a prima manu *Vandiliarium*, *Vandalarius genuit* cet. GRUT. *Vandalarii* nomen, diverse tamen scriptum, inferunt praeter Pall. et alii: sic Ambr. *genuit Vinitarium et ipse Uvandalarium*, Exc. *Venetharius genuit Wandalaricum*, *Wandalaricus* cet. Epit. *genuit Winicharium de quo natus est Wandaliarius*, Bonf. *Vevetharius genuit Vandiliarium*. Et *Vandalarii* nomen minime abesse potest ab hac genealogia idque duabus de causis: primum enim *Vandalarius* infra c. 48. diserte dicitur pater fratrum *Thiudemer, Valamir* et *Vidimir*, non Vinitharius: deinde abesse non patiuntur Vandalarii vel alius certe cuiusdam viri nomen illa Athalarici apud Cassiodor. Var. IX, 25. *Iste* (Cassiodorus) *Amalos cum generis sui claritate restituit, evidenter ostendens, in decimam septimam progeniem stirpem nos habere regalem*. Quibus ex verbis apparet, Athalaricum decimam septimam progeniem fuisse in historiis Cassiodori, qui, si Vandalarium ex albo illo eximas, decimus tantum sextus erit. Probabile autem quum sit, hic quidem ad verbum exscriptum esse

Thiudemer et Valamir et Vidimir; Thiudemer genuit Theodericum, Theodericus genuit Amalasuentham, Amalasuentha genuit Athalaricum et Mathasuentam de Eutharico viro suo, cuius affinitas generis sic ad eam coniuncta est. Nam supradictus Hermanaricus, filius Achiulf, genuit Hunimundum, Hunimundus autem genuit Thorismund, Thorismund vero genuit Berimud, Berimud

---

ab Iordane Cassiodorum vel e communi certe fonte hausisse utrumque, quid sequitur aliud nisi ut Vandalarius summo sibi iure suum inter Amalos locum vindicet? — *Thiudemer, Valamir et Vidimir*) Sic Pall. cum Bonf. *Tindemer, Valetmir et Videmir* Ambr. *Dietmarum* (et sic semper ubiubi nomen viri occurrit in Exc. quod semel monitos velim lectores) *Walamirem et Witimarum* Exc. sed Epit. constructione mutata, *Wandalarii filii fuerunt Thindimerus, Valomerus et Videmerus.* — *Thiudemir genuit Theodericum*) Ambr. *Thiudemir genuit Theudericum.* — *Amalasuentham*) Sic Ambr. cum Epit. quae lectio proxime accedit ad *Ἀμαλασοῦνθαν* Graecorum ut Procop. H. A. c. 16. et B. G. compluribus locis. Eandem ed. Grut. cum Bonf. praefert, sed, ut et vulg. aspiratione *t* literae omissa: Exc. *Amalasuindam* (cod. Stuttg. *Amalsuindam.*) — *Mathasuentam*) Ambr. constructione mutata et mulieris nomine prodigiose depravato *Amalasuentham, quae fuit mater Athalarici et Athesveritae,* Exc. *Mathesuindam* (cod. Stuttg. *Matesuindam*) Epit. *Methesuentum* hic, sed infra *Mathasuentham,* Bonf. *Mathesuentam.* — *de Eutharico*) Sic Pall. Ambr. Exc. (sed infra *t* lit. sine aspiratione) Bonf. Epit. autem et hic et infra *Entharico:* ed. Lindenbr. pessime *de Widerico;* v. *Vtherico.* — *cuius affinitas — coniuncta est*) Ita Ambr. melius certe, quam vulg. *cuius affinitati generis sic ad eam coniunctus est:* optime auctor Exc. haud scio tamen, an de suo, *qui affinitate generis sic ad eam coniunctus est.* — *Hermanaricus*) Sic hic Pall. cum Bonf. sed Ambr. ut supra, *Hermeneric,* Exc. *Ermenricus,* Epit. *Hermenericus,* ed. Grut. hic *Hermanericus;* v. *Hermericus.* — *Achiulf*) Sic Ambr. et Exc. *Achiulfi* vulgo. — *Hunimundum*) Ita Ambr. Exc. Rod. Epit. *Humimundum* Bonf. *Hunnimundum,* quod et cod. Stuttg. tenet, vulgo. — *Thorismund*) Sic Pall. *Thorismundum* Ambr. Bonf. vulg. *Thurismundum* Exc. et Epit. — *Berimud*) Sic a prima manu ambo Pall. repositum quidem in altero a calamo recentiori utrobique *Berimund,* quomodo aliae edd. sed praestat derivari ab *urso* et *spiritu* quam aliunde. Sic et in R. S. (c. 114) *Evermud* ab *apro.* GRUT.

genuit Vetericum, Vetericus genuit Eutharicum, qui coniunctus Amalasuenthae genuit Athalaricum et Mathasuentam, mortuoque in puerilibus annis Athalarico Mathasuentae Vitigis est sociatus, de quo non suscepit liberum; adductique simul a Belisario in Constantinopolim: et Vitigi rebus excedente humanis, Germanus patricius, fratruelis domini Iustiniani imperatoris, eandem in conjugio sumens, patriciam ordinariam fecit; de qua

---

Ambr. Epit. Bonf. et Lindenbr. *Berimundum;* v. *Berimund.* — *Vetericum, Vetericus*) Sic Pall. quod magis accedit ad pronunciationem Belgicam, si modo illud indicat nomen eum cui *copia* suppeditat *arietum vervecumque.* GRUT. Consentiunt cum Pall. Exc. nisi quod *Betericum* exhibent, quod frequentissima *b* et *v* literarum commutatione apud veteres perinde est. Epit. *Videricum* sistit, Bonf. *Vethericum*; v. *Vvidericum.* — *Euthanicum*) Epit. cum Bonf. *Enthanicum.* — *Amalasuinthae)* Exc. *Amalsuindae.* — *Mathasuentam*) Exc. hic *Matesuindam,* ed. pr. cum Bonf. *Mathesuentam.* — *Vitigis*) Sic Mg. Par. *Witigis* Exc. Epit. et ed. Grut. *Widichis* ed. pr. *Vvitichis* vulgo inde a Leunclav. — *liberum*) Amb. cum Epit. *liberos,* offenso, ut videtur, singulari illius vocis numero librario, qui ipse et auctorem Exc. ut *filium* pro *liberum* exhiberet, movit: sed hac ipsa Exc. lectione scriptura *liberum* firmatur. — *a Belisario*) Ed. pr. *ad Bellisarium;* correxit Leunclavius astipulantibus Pall. — *in Constantinopolim*) Pall. cum Epit. et Bonf. *in* praepositionem omittunt, ego tamen retinendam duxi, quum librarios puriorem Latinitatem secutos praepositionem magis omisisse sit probabile quam addidisse. Et millies cum ab aliis, tum a labentis lapsaeque Latinitatis auctoribus urbium nominibus praepositiones addi notius est, quam quod exemplis probari debeat. — *excedente*) Ita vulgo, emendatione a Leunclavio profecta: non edd. pr. *excidente* sistunt. — *domini Iustiniani imperatoris*) Vocabulum *domini* abest a Pall. et Epit. sed exhibent id et Exc. retinere est visum, quo accomodatius est illorum temporum ingenio; cf. quae annotavit de hoc vocis usu Gohofred. ad Cod. Theodos. L. IV. T. 14. — *patriciam ordinariam fecit*) Qui Germanus potuerit patriciam facere Mathasuentam, non magis video quam quae sit patricia ordinaria, nisi quis dicat, eo ipso, quod Germanus esset patricius, coniugem eius patriciam esse factam vel potius nominatam (more nostratibus usitatissimo neque ab antiquitatis ingenio plane alieno, ut docet Chronicon Paschale ad a. 192. ubi

filium genuit, item Germanum nomine. Germano vero defuncto ipsa vidua perseverare disponit. Qualiter autem aut quomodo Amalorum regnum destructum est, loco suo, si dominus juvaverit, edocebimus. Nunc autem ad id, unde digressum fecimus, redeamus, doceamusque quomodo ordo gentis, unde agimus, cursus sui metam expleverit. Ablavius enim historicus refert, quia ibi super limbum Ponti, ubi eos diximus in Scythia commanere, pars eorum, qui orientalem plagam tenebant,

---

Ἀτταλιανῆς τῆς ὑπατίσσης mentio) patricium autem ordinarium esse eum, cui patriciatus honoris causa, non tanquam munus (v. Guther. de offic. dom. August. L. II. c. 19.) sit delatus, itaque patriciam ordinariam Mathasuentam esse factam. Posse ita explicari locum etsi concedo, mihi tamen minime satisfacit haec explicatio, magisque eo inclinat sententia, ut censeam, corruptum esse locum legendumque *patriciam ordinari eam fecit*, ut is insit loco sensus, annitente Germano patriciam ab imperatore factam esse Mathasuentam, precibus illius effectum, ut codicillos patriciae dignitatis scriberet Iustinianus. Nam sciendum, etiam in feminas interdum collatas esse dignitates cum alias temporibus antiquis, tum labente lapsoque imperio. Sic (ut *Augustae* nomen millies lectitatum omittam) Placidiae *Caesareae* cognomen datur in vet. Inscr. ap. Spon. in Miscell. erudit. Antiquitat. s. V. p. 159. nisi ficta est ea, sic *ἐς τὸ τῶν πατρικίων ἀξίωμα* evectam esse Theodoram a Iustiniano narrat Procopius H. A. c. 9. dubitandumque vix erit, quin haec ipsa Theodora, dum verbis *ὦ φιλτάτη πατρικία* alloquitur coniugem Belisarii Antoninam (Procop l. l. c. 3.) ad hanc eandem, qua ipsa gaudebat, spectarit dignitatem. Qui mos, ut obiter id dicam, retentus etiam est insequentibus temporibus in aula Byzantina: sic *Καισάρισσα* legitur apud Nicet. Chon. Praef. p. 8. ed. Bonn. et *Σεβαστοκρατόρισσα* in Matrangae Anecd. Graec. P. II. p. 577. et apud Tzetz. epist. 57. — *perseverare disponit*) Sic omnes libri atque edd. praeter Ambr. qui *perseveravit* exhibet. — *Qualiter autem et quomodo*) Ambr. *quomodo*. — *iuvaverit*) Sic ambo mss. quod semel exhibere placuit, quoniam Peutingerus id semper supra mutaverit in *iuverit*, hic vero supposuerit *voluerit*. GRUT. *Voluerit* retinuerunt etiam, qui post Gruterum Iordanem ediderunt. — *edocebimus*) Sic dedit pro lectione ed. pr. *edocemus* Rhenanus. — *quomodo*)

eisque praeerat Ostrogotha — incertum, utrum ab ipsius nomine, an a loco id est orientali — dicti sunt Ostrogothae, residui vero Vesegothae in parte occidua. Et quidem iam diximus, eos transito Danubio aliquantum temporis apud Moesiam Thraciamque vixisse.

XV. Ex eorum reliquiis fuit et Maximinus, imperator post Alexandrum Mammaeae, ut dicit Symmachus

---

Sic Ambr. *quando* vulgo. — *Ablavius*) Ed. Grut. *Ablabius*. — *incertum, utrum ab ipsius nomine an a loco orientali*) Vox *incertum* abest a Pall. et edd. antiquissimis. Primum comparet ea in ed. Vulcanii, qui eam e Mg. Leunclav. aut Paris. in textum recepit. Et abesse poterit, si distinguamus cum Grutero, *iisque praeerat Ostrogotha utrum ab ipsius nomine? an a loco id est orientali? — a loco id est orientali, dicti sunt Ostrogothae*) Sic Pall. sed paulo aliter Ambr. *orientales dicti sunt, id est Ostrogothae*. — *in parte occidua. Et quidem iam diximus* cet.) Haec lectio a Vulcanio profecta est, quum edd. antiquiores omnes *et quidem sicut iam diximus* repraesentent. Gruterus autem, incertum, e Pall. an de suo, legit hic et inchoato novo capite distinguit ita, *in parte occidua. Et quia iam superius diximus, eos — vixisse; ex eorum reliquiis* cet. Quam lectionem quo minus amplectar, obstat, quod unde acceperit eam Gruterus, in ambiguo est. Retenta igitur quae in libris et edd. omnibus legitur particula *sicut*, ita legerim distinxerimque locum *in parte occidua. Et quidem, iam sicut diximus, eos — vixisse; ex eorum reliquiis* cet. — *apud Moesiam Thraciamque*) Mg. Par. *in Moesia Thraciaque*, quae lectio temeraria magis videtur correctio, quam nostri manus: *apud* enim praepositio pro *in* cum urbium regionumque nominibus iuncta tum alias saepe legitur, tum apud nostrum ut supra c. 10. infra c. 45. R. S. cpp. 71. 73. 96. retinendum itaque *apud*, quod praeferunt et libri scripti et edd. — *vixisse*) Sic bene Mg. Par. recepit Vulcanius, quum in edd. antiquioribus *duxisse* haberetur.

Cap. XV. *Maximinus, imperator post Alexandrum*) Sic distinguendum, non, ut vulgo, *Maximinus imperator, post Alexandrum*. — *Mammaeae*) Ita vel potius *Mammeae* dedit Vulcanius e Mg. Leunclav. ubi legitur *Mammaeae scil. filium* Ambr. *Mammea* sistit, Mg. Par. *Mammae filium* quod posterius haud scio an e Mg. Leunclav. ed. pr. *Mameam*, qua lectione induci fortasse quis possit ut proponat *Mammaeum* legendum, quomodo cognominari interdum a Latinis imperatorem illum annotat Casaubonus ad Lamprid. Alex. Sev. c. 3. — *ut dicit*) Mg.

in quinto suae historiae libro. Alexandro, inquit, Caesare mortuo Maximinus ab exercitu factus est imperator, ex infimis parentibus in Thracia natus, a patre Gotho nomine Micca, matre Alana, quae Ababa dicebatur. Is triennium regnans, dum in Christianos arma commoveret, imperium simul et vitam amisit. Nam hic Severo imperatore regnante et natalem filii diem celebrante, post primam aetatem et rusticam vitam de pascuis in militiam venit. Princeps siquidem militares dederat ludos; quod cernens Maximinus, quamvis semibarbarus adolescens, propositis praemiis patria lingua petit ab imperatore, ut sibi luctandi cum expertis militibus licentiam daret. Severus, admodum miratus magnitudinem formae — erat enim, ut fertur, statura eius procera ultra octo pedes — jussit eum cum lixis corporis nexu contendere, ne quid a rudi homine militaribus viris veniret injuriae.

Par. *nam ut dicit*, quae lectio si proba est, commodum interpunctione mutata praebet sensum ita: *Nam, ut dicit Symmachus —, Alexandro* cet. vel etiam, ut praeferunt Ambr. ed. Par. Epit. (nisi quod male ille *Caesar* pro *Caesare*), ita: *Nam, ut dicit Symmachus — libro, Maximinus, inquiens, Caesare mortuo Alexandro imperator* cet. — *Micca* Sic Epit. et Bonf. quomodo vocatur pater Maximini etiam a Capitolino vit. Maxim. c. 1. et iterum a nostro R. S. c. 81. Ambr. *Mica;* v. *Mecca.* — *Ababa*) Haec est lectio vulgata, quam retinendam duxi, quum non solum unus Pal. Epit. Bonf. ab ea stent, sed etiam apud Capitolin. l. l. et in R. S. ita legatur. Pal. alter *Abara* praefert, quod Gruterus recepit. Ceterum de varia horum nominum scriptura cf. Casaubon. et Salmas. ad Capitol. l. l. — *rusticam*) Ed. Grut. *rusticanam.* — *Princeps siquidem militares*) Sic Pall. cum Mg. Par. ed. Garet. et Ambr. nisi quod hic *Princeps siquidem Severus.* — *quamvis semibarbarus*) Ita Pall. Ambr. Mg. Par. *qui erat semibarbarus* vulgo. — *propositis praemiis*) Sic Pall. cum Ambr. *positis pr.* vulgo. — *patria lingua*) Ita iidem; v. *barbara.* — *cum expertis militibus*) Vocem *expertis* inserunt unus Pal. ed. Par. Epit. et recepit in suam Garetius: alter autem Pal. *peritis* exhibet, quod Gruterus in sua expressit. Vulgo neutra harum vocum visitur. — *corporis nexu*) Sic Pall. cum Person. et recepit Gruterus:

Tunc Maximinus sedecim lixas tanta felicitate prostravit, ut vincendo singulos nullam sibi requiem intercapedine temporum daret. Hic captis praemiis iussus est in militiam mitti, primaque ei stipendia equestria fuere. Tertia post haec die, cum imperator prodiret in campum, vidit eum exsultantem more barbarico, jussitque tribuno, ut eum coërcitum ad Romanam imbueret disciplinam. Ille vero, ubi de se intellexit principem loqui, accessit ad eum, equitantemque praeire pedibus coepit. Tum imperator equo adacto in cursum calcaribus incitatum multos orbes huc atque illuc usque ad suam defatigationem variis deflexibus impedivit ac deinde ait illi: numquid vis

---

vulgo *corpereo nexu*, quod et Epit. exhibet. — *sedecim*) Ed. Garet. *sexdecim* — *felicitate*) Quid si legas *facilitate?* Commutari saepe inter se in libris utramque vocem, docebunt Duker. ad Flor. II, 6, 38. id. ad Liv. XXXI, 26, 7. Drakenb. ad eund. XIII, 11, 2. Arntzen. ad Pacat. Panegyr. 21, 2. — *Hic captis praemiis*) Malim *hinc* legere, quo ducit etiam lectio Epit. *quam ob rem.* — *Tertia post haec die*) Ita Pall. *Tertiam post diem* vulgo. — *prodiret*) Ita Pall. Ambr. ed. Par. *prodierat* vulgo. — *equo adacto in cursum* cet.) Haec est lectio vulgata, quam retinendam duxi, etiamsi non satisfacit. Minus tamen satisfacit scriptura Pall. et Epit. *equo ad lentum cursum calcaribus incitato* et quae idem exprimere voluisse videtur Ambr. *equo ablentem cursum calc. incitato.* Etenim si imperator, ut narrat Capitolinus l. l. c. 3. *explorare* volebat, *quantus in currendo esset* Maximinus, lentum esse equi cursum minime licebat: ad lentum insuper cursum *calcaribus* non est opus neque congruit rei *incitare* verbum. Quare quod coniicitur in ed. Murat. vocabulum *violentum* minime respuerim, quum neque audacior sit coniectura nec a re ipsa abhorreat. Ceterum lectio *adacto* primum a Vulcanio e Mg. Par. vel. Leuncl. in textum est recepta; priores enim edd. *adiecto* tenent. — *multos orbes*) Ambr. *multas urbes*, solenni vocum *urbs* et *orbis* et apud nostrum permutatione; v. infra cpp. 33. et 49. — *ad suam defatigationem*) Sic Pall. mallem tamen *sui* pro *suam*; v. *ad suam fatigationem.* — *deflexibus*) Sic Pall. cum Epit. *inflexibus* vulgo. — *impedivit*) Sic Pall. Ambr. Mg. Par. Pro vulg. *interpedavit* Salmasius ad Capit. l. l. *intripedavit* proponit legendum, quam vocem francogallice explicat verbis *mettre son cheval au*

post cursum, Thracisce, luctari? respondit: quantum libet, imperator. Ita Severus, ex equo desiliens, recentissimos militum cum eodem certare iussit. At ille septem valentissimos iuvenes ad terram elisit, ita ut antea nihil per intervalla respiraret, solusque a Caesare et argenteis praemiis et aureo torque donatus est; iussus deinde inter stipatores degere corporis principalis. Post haec sub Antonino Caracalla ordines duxit, ac saepe famam factis extendens, inter plures militiae gradus centuriatumque strenuitatis suae pretium tulit. Macrino tamen postea in regnum ingresso recusavit militiam paene triennium, tribunatusque habens honorem nunquam se oculis obtulit Macrini, indignum ducens eius imperium, quod per patratum facinus erat acquisitum. Ad Heliogabalum de-

---

trot: sed v. ipsum illo de verbo prolixissime disputantem. — *Thracisce*) Ridule Epit. *tragice.* — *desiliens*) Ita pro lectione ed. pr. *disiliens* primus dedit Rhenanus; astipulatur Epit. — *cum eodem certare*) Epit. et ipsa non male *cum eo decertare.* — *iuvenes*) Sic Pall. Ambr. Mg. Par. Person. et Epit. *milites* vulgo. — *solusque*) Sic Ambr. cum ed. Grut. in reliquis copula non visitur. — *degere corporis principalis*) Mg. Par. *decore corp. pr. stare.* — *centuriatumque*) Ita proxime Pall. est enim in iis *centuriatamque*, quae forsan illius aevi vox. GRUT. Quae recepta est a Grutero lectio, firmatur Mg. Par. Vulgo *centuriasque* legitur. Quod quum non concoqueret Salmasius, coniecit ad Capit. Maximin. c. 4. *centuriatus quoque*, addita hac annotatione: „ordines ducere et centurionem esse tanquam diversa hic ponuntur a Capitolino et Symmacho atque ita quidem, ut maior videatur centurionis dignitas quam eius qui ordines duceret.“ Si cui lectio recepta non satisfaciat, possit *centuriatusque* legere, sed secundo singularis numeri casu, qui e voce *gradus* pendeat: non omnibus enim centurionibus eadem dignitas; v. Lips. ad Tacit. Ann. I, 44. — *quod — quaesitum. Ad Heliogabalum dehinc*) Sic in Pall. scriptum et distinctum: neque peius Ambr. *quod perpetrato facinore fuerat acquisitum. Ad Hel. d.* cet. Lectionem *per patratum facinus* praefert ed. quoque Par. quanquam n reliquis consentiens cum vulg. quae et mendis laborans, et distinctione, ita habet *quod perpetratum facinus erat quaesitum ab Helio-*

hinc quasi ad Antonini filium revertens, tribunatum suum adiit, et post hunc sub Alexandro Mammaeae contra Parthos mirabiliter dimicavit. Eoque Moguntiaco militari tumultu occiso ipse exercitus electione absque senatus consultu effectus est imperator, qui cuncta bona sua in Christianorum persecutione malo voto foedavit, occisusque Aquileja a Pupieno, regnum reliquit Philippo. Quod nos idcircó huic opusculo de Symmachi historia mutuavimus, quatenus gentem, unde agimus, ostenderemus ad regni Romani fastigium usque venisse. Ceterum causa exigit, ut ad id, unde digressi sumus, redeamus.

---

gabalò. Dehinc quasi cet. Pro vulg. *perpetratum facinus* ed. Lindenbr. *per perpetratum facinus* exhibet, in ceteris a lectione vulg. non dissidens. Ceterum verum quoad tam ad sententiam quam ad distinctionem vidit iam Casaubonus ad Capit. l. c. — *ad Antonini filium*) Ambr. cum Epit. *Antonii.* — *Moguntiaco*) Nihil mutandum. Pro secundo enim sextum quandoque casum ponunt in urbium nominibus posterioris Latinitatis auctores: sic ipse noster *Arelato* cpp. 32. 47. *Moguntiaco* iterum R. S. c. 80. *Sirmio* ib. c. 85. qua de structura cf. quae monuerunt Vorst. ad Iustin XVIII, 4, 3. et Munker. ad Hygin. fab. 247. Pro *Moguntiaco* praefert *Magontiaco* ed. Grut. quae lectio non minus probanda quam vulgata: utroque enim modo scribi urbis celeberrimae nomen, docebunt qui laudantur a Tzschuck. ad Eutrop. VII, 8. (13). — *Aquileia*) Revocavi hanc lectionem ex ed. pr. pro vulg. *Aquileiae*, quod primum in ed. Leunclav. visitur: quare, ex iis, quae modo dicta sunt, apertum est. — *a Pupieno*) Sic legendum transpositis vulg. *Pupione* literis: eodem ducit Ambr. *Pupiano.* Et firmat lectionem receptam praeter historiarum monumenta noster ipse R. S. c. 81. — *de Symmachi historia mutuavimus*) Ambr. *de Symmaco mutuati sumus.* — *ostenderemus*) Dictio *ostenderemus* primum eruta de mss. libris; prius male deerat eiusque loco paullo post irrepserat *doceamus*, quod eieci instigantibus iisdem membranis, in quibus nusquam comparebat. GRUT. Illud *doceamus* iam in ed. pr. indeque in reliquis locum tenet inter verba *venisse* et *ceterum.* — *redeamus*) Ed. Par. verbo amplius *ordine redeamus.*

XVI. Nam gens ista mirum in modum in ea parte, qua versabatur, id est Ponti in litore Scythiae soli, enituit, sine dubio tanta spatia tenens terrarum, tot sinus maris, tot fluminum cursus, sub cuius saepe dextra Vandalus iacuit, stetit sub pretio Marcomannus, Quadorum principes in servitutem redacti sunt. Philippo namque ante dicto regnante Romanis, qui solus ante Constantinum Christianus cum Philippo, id est filio, fuit, cuius et secundo anno regni Roma millesimum annum explevit, Gothi, ut assolet, subtracta sibi stipendia sua ferentes aegre, de amicis facti sunt inimici. Nam quamvis remoti sub regibus viverent suis, reipublicae tamen Romanae foederati erant, et annua munera percipiebant. Quid multa? Transiens tunc Ostrogotha cum suis Danubium, Moesiam Thraciamque vastavit. Ad quem repellendum Decius senator a Philippo dirigitur. Qui veniens dum Getis nihil praevalet, milites proprios exemptos a militia fecit vita privata degere, quasi eorum

---

Cap. XVI. *Scythiae soli*) Videntur haec ponenda post verba *in ea parte*, ut apta sint ex his, quomodo habetur apud Rod. *in ea parte Sythiae qua manebat.* — *enituit*) Sic pro vulg. *innotuit* Pall. Ambr. Rod. — *Vandalus*) Ambr. *Gandalus.* — *principes*) Rod. cum Exc. *princeps.* — *Philippo, id est filio*) Potest ferri haec lectio, alio tamen ducunt Pall. qui *idem* praeferunt, pro quo solenni literarum *d* et *t* permutatione *item* est scribendum. Legendum itaque, transpositis simul cum Exc. duabus vocibus, *cum filio item Philippo*, quomodo noster et alias ponit verba in eadem locutione ut supra c. 14. *Germanus filium genuit item Germanum,* et infra c. 60. *postumus Germani natus est filius item Germanus.* Pro vulg. *is est* Mg. Par. *eiusdem* sistit. — *subtracta*) Sic pro vulg. *distracta* Pall. Ambr. Epit. Bonf. — *sub regibus*) Ambr. *legibus*, quomodo dudum etiam vir quidam doctus proposuit legendum: praeter necessitatem, immo male. — *dum Getis nihil praevalet*) Sic Pall. cum Mg. Par. sed Ambr. *Gothis*; v. *genti*, prona et plus semel obvia utriusque vocabuli permutatione, ut apud Claudian. Rufin. I, 308. et Marcellin. Com. ad a. 517. —

neglectu Gothi Danubium transfretassent, factaque, ut putavit, in suis vindicta ad Philippum revertitur. Milites vero videntes se post tot labores militia pulsos, indignati ad Ostrogothae, regis Gothorum, auxilium confugerunt. Qui excipiens eos eorumque verbis accensus, mox triginta millia suorum armata produxit ad proelium adhibitis sibi Taiphalis et Asdingis nonnullis, sed et Carporum tria millia, genus hominum ad bella nimis expeditum, qui saepe fuere Romanis infesti; quos tamen

---

transfretassent) Sic Pall. sed v. *transissent*, quae lectio profecta videtur ab aliquo, quem offenderet verbum *transfretare* de flumine transmisso usurpatum. Quod quamquam proprie de iis, qui fretum traiiciunt, dici solet (v. Gell. X, 26, 1), tamen etiam de iis, qui flumen traiiciunt, apud sequioris certe aetatis scriptores, in usu est; cf. Ammian. XVIII, 5, 3. XIX, 8, 9. XXXI, 4, 5. — *ut putavit*) Ita pro vulg. *ut puta* Pall. cum Exc. et ed. Lindenbr. sed Ambr. *ut putabat*. — *in suis*) Vulg. huic lectioni astipulantur Pall. sed Ambr. cum Exc. *in suos*. — *ad Philippum*) Haec verba absunt ab Ambr. — *se post tot labores*) Sic Pall. Ambr. Exc. *se esse post hos labores* vulgo. — *triginta millia*) Hic numerus legitur vulgo inde ab ed. pr. sed Pall. Ambr. Exc. Epit. Bonf. cum Mg. edd. pr. et Par. *trecenta millia* sistunt, qui numerus, si de florentissimis Gothorum rebus loqueretur noster, credibilis vix foret (v. Procop. B. G. III, 4. 21.), illis vero temporibus omnem excedit fidem. — *millia suorum*) Sic pro vulg. *virorum* Pall. Ambr. Mg. Par. Exc. Epit. optime, quum Gothos opponat Taiphalis et Asdingis Iordanis. — *Taiphalis*) Haec est lectio Ambr. et Bonf. nisi quod hic *y* pro *i* sistit: visitur ea et in ed. Lindenbr. eodemque redit Leunclavii coniectura *Taifalis*, sed Pall. *Taifilis* praeferunt, Mg. Par. *Thuifalis*, Epit. *Cayfalis*; v. *Taphilis*. Ceterum in scriptura huius nominis quantum varietur ab auctoribus, docebunt Schwarz. ad Mamertin. Genethl. c. 17, 1. Tzschuck. ad Eutrop. VIII, 2. Zeuss. l. l. p. 433. not. — *Asdingis*) Hanc Leunclavii coniecturam in textum admittere non dubitavimus; neque plane reiiciendа lectio ed. Lindenbr. *Astingis*: at improbanda et vulg. *Astringis* et Epit. *Astriagis*. — *qui saepe fuere Romanis infesti*) Sic Pall. tempus praeteritum reperit etiam Aeneas Silvius in suo: habet enim: *quod genus—infestum fuerat*. Vulgo legitur *qui saepe Romanis infesti sunt*.

post haec imperante Diocletiano et Maximiano Galerius Maximianus Caesar devicit et reipublicae Romanae subiecit. His ergo addens Gothos et Peucinos ab insula Peucis, quae inter ostia Danubii Ponto mergentia iacet, Argaitum et Guntherïcum nobilissimos suae gentis praefecit ductores. Qui mox Danubium vadati et secundo Moesiam populati, Marcianopolim, eiusdem patriae urbem

---

et Maximiano) Haec verba suppeditant Ambr. et ed. Par. in ceteris libris et scriptis et editis non visuntur. — *Maximianus*) Haec lectio debetur Bonfinio; quam in textum recipere eo minus dubitavi, quia, praeterquam quod verum illud nomen viri fuit, ut videre licet vel ex Eutrop. IX, 14. (22.) et Aurel. Vict. Caes. c. 39, 24. Epit. c. 39, 2. Iordanis ipse plus semel *Maximianum* vocat Galerium Caesarem ut infra c. 21. R. S. cpp. 87. 88. non *Maximinum*, ut coniecit hic legendum Leunclavius, ut recepit Vulcanius, ut Pall. etiam sistunt neque *Maximum*, quomodo praeferunt Ambr. et edd. Vulcaniana antiquiores. — *devicit et reipublicae—subiecit*) Sic Pall. eodemque sensu Ambr. *devicit et reipublicae subegit*, ita ut non opus sit Cluverii coniectura, qui Germ. Ant. L. III, c. 43. *debellatos* pro *de civitate* proposuit legendum. — *His ergo addens Gothos et Peucinos*) Ita Pall. cum Ambr. nisi quod hic *is* pro *his*. Neque aliter invenerunt in libris suis auctor Epitomes et Bonfinius, quorum unus *tum et Peucenos addit* habet, alter *adiunxit etiam Peucenos*. Neque male Mg. Par. *addens Gothis*. Vulgo legitur *Is ergo habens Gothos et Peucenos*, quae lectio Rhenanum habet auctorem, qui pro *Pesicenos*, quod ed. pr. tenet, *Peucenos* esse legendum bene vidit. Quod ad scripturam nominis attinet, perinde est, *Peucenos*ne scribas an *Peucinos*; qua de re v. Tzschuck. ad Mel. II, 7, 2. — *ab insula Peucis*) Sic Pall. cum Ambr. et ita flexisse nomen Iordanem neque legendum esse *Peuce*, quae lectio inde a Rhenano edd. obsedit, patet e discrepantibus lectionibus, quibus, quamquam corruptis, vestigia *Peucis* scripturae insunt: nam ed pr. *ab insula paucis* praefert, Epit. *ab insula Peuci*. — *quae—iacet*) Sic optime Ambr. sed ed. pr. *qui in ostio Danubii ponto mergenti adiacent*, quae verba ita immutavit Rhenanus *quae ostio Danubii Ponto mergenti adiacet* quae lectio edd. insequentes omnes obsedit — *Argaitum*) Epit. cum Bonf. aspirate *Argaithum*. — *secundo Moesiam populati*) Gibbon c. X. not. 29. *secundam Moesiam*, cuius metropolis sine dubio Marcianopolis fuerit, contendit legendum, adeo sua exsultans coniectura, ut Grotii sagacitatem corruptelam loci

famosam metropolim, aggrediuntur, diuque obsessam accepta pecunia ab his, qui inerant, reliquere. Et quia Marcianopolim nominavimus, libet aliqua de eius situ breviter intimare. Nam hanc urbem Traianus imperator hac re aedificavit, ut fertur, eo quod Marciae, sororis

---

fugisse valde miretur. At speciosior est coniectura illa quam verior, etiamsi ei favent illa Geographi Rav. IV, 16, extr. *Martianopolis ex Moesia inferiori* (i. e. secunda) *pertinet, ut testatur mihi Iordanis cosmographus.* Nam res ita habet: post transitum Danubium vastatasque Moesiam et Thraciam reversi sunt ad sua Gothi; interiecto vero tempore iterarunt transitum fluvii, iterarunt incursiones in fines Romanos, iterarunt vastationes. Quod etiamsi expressis verbis non narrat Iordanis, colligendum tamen est e verbis *Danubium vadati.* Uno quippe tenore si res gesta esset a Gothis, quum Moesiam et Thraciam iam occupatas tenerent, ut transmitterent Danubium, minime eis opus fuit, ut qui iam dudum transissent eum. Favet lectioni *secundo,* abs quo libri stant ad unum omnes, Epit. quoque, in qua legitur *rursus Moesiam populati.* — *Marcianopolim*) Haec est lectio vulgata, quae minime tentanda est non solum quia a *Marcia* nomen deductum, ut Iordanis quidem tradit, sed etiam, quia Graecis semper est *Μαρκιανόπολις* sive *Μαρκιανούπολις* urbs illa: reiicienda ergo scriptura *Martianopolis*, quam Geographus Rav. l. l. Epit. Bonf. exhibent. — *aggrediuntur*) Ed. pr. *egrediuntur:* emendavit Rhenanus. — *Marciae*) Male Epit. cum Bonf. *Martiae*; ed. Lindenbr. *Marcianae* exhibet, sed e coniectura. „*Marcianam* — inquit vir doctissimus — sororem Traiani vocatam fuisse, non Marciam, ex veteri inscriptione constat et in observationibus ad Ammian. lib. 18. (c. 4, 12.) notavi.“ Et *Marcianae* sane, non *Marciae*, verum fuisse Traiani sororis nomen, etiamsi apud scriptores non legitur, evincunt tam lapides quam numi: ita in Anconitano fornice (Grut. p. 247. extr.) DIVAE MARCIANAE AVG. SORORI AVG. in monumento in ruinis castrorum Washel. reperto (Grut. p. 46, 1.) DEO HERCVLI PRO SALVTE DIVI TRAIANI AVGVSTI ET MARCIANAE SORORIS AVG. COLONIA DAC. SARMIZ. in numo denique apud Vaillant. DIVA AVGVSTA MARCIANA. Itaque ut recipiatur lectio *Marcianae*, videntur suadere et lapides et numi. Accedit insuper, quod a *Marcia* Marcianopoleos nomen neutiquam deduxeris, a *Marciana* optime. Sed enim quum in lect. *Marciae* omnes conspirent libri et scripti et impressi, excepta, ut modo dixi, ed. Lindenbr. eandemque qui exscripserunt nostrum auctores omnes inde a

suae, puella, dum lavat in flumine illo, quod nimiae limpiditatis saporisque in media urbe oritur, Potami cognomento, exindeque vellet aquam haurire, casu vas aureum, quod ferebatur, in profundum cecidit, metalli pondere praegravatum, et longe post imis emersit; quod certe non erat usitatum, aut vacuum sorberi, aut certe semel voratum undis respuentibus enatare. His Traianus sub admiratione compertis, fontique numinis quiddam inesse credens, conditam civitatem germanae suae in nomine Marcianopolim nominavit.

XVII. Abhinc ergo, ut dicebamus, post longam obsidionem accepto praemio ditatus Geta recessit ad propria. Quem Gepidarum cernens natio subito ubique vincentem praedisque ditatum, invidia ductus arma in parentes movet. Quomodo vero Getae Gepidaeque sint parentes si quaeris, paucis absolvam. Meminisse debes,

---

Geographo Rav. usque ad Bonfinium exhibeant scripturam, dum dubius haereo, auctorine tribuam errorem an librario, intactam relinquere vulgatam est visum. — *Marciae sororis suae puella*) Mg. Par. *Marcia soror sua*, quae lectio haud scio an vel ob id, quod, ut dicit paulo post noster, *in nomine germanae suae* condita vel, ut ait Ammianus XVII, 4, 12. *a sorore Traiani principis cognominata* esse dicitur, vera habenda sit. — *lavat*) Mg. Par. *lavatur*. — *Potami*) Ambr. *Potamica*. — *cecidit*) Epit. *decidit*. — *praegravatum*) Sic pro vulg. *gravatum* Pall. Ambr. Epit. — *et longe post imis emersit*) Ita Pall. cum Ambr. paulo aliter Mg. Par. *longeque post ab imis remersit*, et Epit. *longeque post ab imis emersit*; v. *et longe post emersit*. — *vacuum*) Haustum fortasse initiali huius vocis syllaba vocabulum *vas*. — *enatare*) Sic dedi Grut. secutus pro vulg. *renatare*. — *nominavit*) Ambr. *appellavit*.

Cap. XVII. *accepto praemio*) Mallem cum Exc. *pretio*, cf. Iustin. VI, 1, 6. *indignum hostem pretio, non armis summoveri*. Voces *pretium* et *praemium* confundi saepe a librariis, monent quos laudat Drakenb. ad. Liv. XXVI, 40, 15. — *ad propria*) Ita Pall. Ambr Mg. Par. Exc. sed vulg. *ad patriam*, solenni utriusque vocabuli commutatione apud nostrum quoque, ut supra c. 7. — *ductus*) Ambr. legibus grammaticis convenienter *ducta*, lectio tamen vulgata, ut in quam

me initio de Scandzae insulae gremio Gothos dixisse egressos cum Berich suo rege, tribus tantum navibus vectos ad citerioris Oceani ripam. Quarum trium una navis, ut assolet, tardius vecta, nomen genti fertur dedisse; nam lingua eorum pigra Gepanta dicitur. Hinc

---

reliqui libri consentiant, retinenda. Et masculine usurpatum redit idem vocabulum infra c. 50. — *cum Berich*) Ambr. *cum Berige*, Mg. Par. *cum Beria*, Bonf. *cum Berigo*. — *ad—ripam*) Ambr. *ad ripam Oceani citerioris, id est Gothiscandzam*. Ceterum mallem cum Epit. *ad citeriorem Oceani ripam*, quum adiectiva seiuncta suis a substantivis haud raro proximo vocabulo accommodare solerent librarii. — *tardius vecta)* Ita coniecit iam Peutingerus legendum pro *nacta*, quod in libris suis repererat. — *pigra*) Exc. *pigritia*. — *Gepanta dicitur*) Vocem *Gepanta* esse corruptam, non defuere qui iudicarent, dissidentes quamquam in eo, quomodo sit emendandum. Grotius in Prolegg. p. 28. „apud Iornandem — inquit — male *Gepanta* pro *Gepaita* nunc legitur: est enim *Gepait* Germanis is qui moram facit, isque sonus etiam clarius auditur in eodem nomine ut a Graecis effertur *Γήπαιδες*.“ Sed Ritterus in: *Anmerkungen zur Allg. Weltgesch.* P. V. vol. 4. p. 71. seq. *Gepidan* ait legendum videri, ita de loco nostro disserens: *Ob das Schimpfwort* Gepida *bei Gelegenheit der ersten Schifffahrt entstanden sey oder ob diejenigen Gothen, welche in die Gegenden des schwarzen Meeres gezogen sind, die an der Weichsel zurückgebliebenen Landsleute als Zauderer, die nicht fort gewollt, sondern an der Weichsel sich gleichsam verzögert, Gepiden genannt haben, wird schwerlich auszumachen seyn. Genug, der Name entsteht von* bleiben, warten, zaudern. *Der* Verzug, *das* Zaudern *heisst bei den Gothen* beidan, bidan, peidan [voce in Alemannia adhuc servata in dictione *auf Beit geben*] *und unsern Vorfahren ist das Wort* beiten, verziehen, warten, *nicht unbekannt gewesen.* Bidan *mit* Ge *zusammengesetzt, zeigt etwas an, das mehrere angeht. Also heissen bei den Gothen* Gedaila *viele* Theilhaber *oder* Theilnehmer *an einer Sache, von dem Zusammengesetzten* dail *und* Gemein *oder auch* Gamana, Gemana, *von dem einfachen* mein, *welches unser* gemein *ist, ein Theilhaber an einer gemeinen Sache oder einer, der in Gemeinschaft steht. Folglich sind* Gebidan *oder* Gepidan *viele* Zurückgebliebene, *viele* Zauderer, *dass Jornandes, der gothisch verstand, nicht hat schreiben können,* Gapanta *sey* faul *oder* zaudernd, *sondern die Abschreiber, welche von der Sprache nichts verstanden, haben einen Fehler gemacht, und muss es im Text heissen:* nam lingua eorum (Gothorum) pigra

factum est, ut paulatim et corrupte nomen eis ex convicio nasceretur, Gepidae. Nam sine dubio ex Gothorum prosapia ducunt originem; sed quia, ut dixi, Gepanta pigrum aliquid tardumque signat, pro gravi tunc convicio Gepidarum nomen exortum est, quod nec ipsum credo falsissimum. Sunt enim tardioris ingenii et graviores corporum velocitate. Hi ergo Gepidae, tacti invidia, dudum spreta provincia commanebant in insula

---

(navis, *wodurch die Besatzung zu verstehen ist*) Gepidan (*oder* Gebidan *statt* Gepanta) dicitur. *Und so muss man bald darauf lesen:* Gepidan pigrum aliquid tardumque significat. *Jornandes hat das Faule, Langsame und Zaudernde auf die Seele gedeutet und darauf gesehen,, dass die Gepider als Faulenzer nicht mit den andern Gothen aus der Gegend an der Weichsel fortgehen wollen, sondern noch lange auf einer Insel* gebiedet *oder geblieben. — ex convicio*) Ed. pr. et hic et infra *ex convivio*, sed *convicio* esse legendum, vidit iam Peutingerus, cui coniecturae favet quod legitur in Exc. *ex vitio. — nomen—nasceretur, Gepidae. Nam sine dubio* etc.) Ita legitur et interpungitur in ed. Grut. Nam v. *nomen — nasceretur. Gepidae namque. — ex Goth. prosapia ducunt originem*) Ed. Par. *ex Goth. pros. et hi trahunt et ducunt originem. — pro gravi tunc convicio*) Sic Mg. Par. sed v. *pro gratuito convicio. — et graviores corporum velocitate*) Copulam *et* addidi ex ed. Par. et Exc. neque ita locum menda carere, quivis vidit: quomodo enim vox *graviores* cum *corporum velocitate* potest convenire? Et fuit, quum vitium in voce *velocitate* quaererem, modo *obesitate* coniiciens, modo *vastitate*, modo aliud tale quid. Nunc vero in *corporum* latere videtur mihi vitium legerimque *Gothorum*, ita ut gravitas Gepidarum velocitati Gothorum opposita sit. — *dudum spreta provincia commanebant*) Qua provincia? Romanane? ut quidam existimat. Id adeo non crediderim, ut non sanus vel integer mihi videatur locus, etiamsi non clare video, quomodo sit ei medendum. Neque iuvat lectio Ambr. *dum spesis provincia commanent.* Fuit aliquando, quum coniicerem *dudum spreta patria Oium* (eo loci sensu ut dicere voluerit Iordanis, Gepidas, dum cognati ipsorum in terram *Oium*, ut narratur supra c. 4. progrederentur, id recusantes, in insula Visclae remansisse) ita ut e compendio vocis *patria* cum nomine *Oium* in unum vocabulum *praoium* coalito librarius aliquis *provincia* effinxerit: nunc vero locum accuratius consideranti aliud quid succurrit, mancum esse eum,

Visclae amnis vadis circumacta, quam pro patrio sermone dicebant Gepedoios. Nunc eam, ut fertur, insulam gens Vividaria incolit, ipsis ad meliores terras meantibus. Qui Vividarii ex diversis nationibus acsi in unum asylum collecti sunt, et gentem fecisse noscuntur. Ergo, ut dicebamus, Gepidarum rex Fastida, quietam gentem

---

non corruptum, quod probarint vel verba *dum commanent*, quae, ut modo diximus, exhibet Ambr. et illa *ergo, ut dicebamus, Gepidarum rex Fastida* cet. quae enim Fastidae antea mentio in contextu? ubi rei alicuius mentio, ad quam particula *ergo* referatur? Videntur igitur excidisse aliqua inter verba *Nunc eam* atque *Ergo ut dicebamus.* — *in insula—circumacta*) Ambr. *in insulam—circumactam.* — *Visclae*) Epit. *Iusdae.* Pro *Visclae* Peutingerus *Vistulae* coniicit legendum, quod non opus esse, apparet ex iis, quae dicta sunt supra ad c. 5. — *Gepedoios*) Ita codd. Monac. et Vindobb. cum Epit. *Gepedeios* Pall. *Gepidoios* Ambr. *Gepiedoios* ed. Grut. *Gepidos* vulgo. — *quam*) Hanc quoque vocem, ut et quod sequitur nomen proprium, corruptam iudicat l. l. Ritter., *quos* pro illa et *gens Vinidaria* legendum proponens. „*Die Insel* — inquit — *hat den Namen* Gepidos (sic!), *der ein Schimpfwort war, nicht von den Gepiden selbst erhalten, sondern die übrigen Gothen waren auf ihre Landsleute verdriesslich und neidisch, dass sie auf der Insel sitzen blieben, sich der Ruhe und Bequemlichkeit bedienen und nichts wider die Römer wagen wollten und nannten sie die* Faulen *oder* Gepider. *Dass man so erklären müsse, zeigen die folgenden Worte:* nunc eam insulam gens Vividaria colit cet., *wo er von der Insel besonders handelt und welche auch verderbt worden sind, was die* gens Vividaria *anbelangt, welches Volk man schwerlich finden würde. Desswegen muss man lesen* Vinidaria, *weil er die* Vinidas, *wie er sie sonst nennt oder das Volk der Vinider im Kopf gehabt hat, von dem er weiss, dass es nach dem Abzug der Gepider an dessen Stelle in die Gegenden an der Weichsel vorgerückt ist.* — *Ergo ut dicebamus* cet.) Ante haec verba, ut modo dixi, excidisse aliqua videntur. Epitome certe et Bonfinius plura quam in edd. legentur, h. l. afferunt. Et in illa quidem habetur, *diu commorati sunt, post vero introrsum profecti usque ad Danubium venere, quorum rex Fastida* cet. Bonfinius vero exhibet, *dein quum Sarmatiae intima penetrassent, ad Danubium usque descenderunt, et regem magnanimum sortiti, cui Fastidae nomen erat* cet. Vides, apud utrumque adventus ad *Danubium* mentio, cuius nec vola nec vestigium in codd.

excitans, patrios fines per arma dilatavit. Nam Burgundiones paene usque ad internecionem delevit, aliasque nonnullas gentes perdomuit. Gothos quoque male provocans, consanguinitatis foedus prius importuna concertatione violavit, superbaque admodum elatione iactatus, crescenti populo dum terras coepit addere, incolas patrios reddidit rariores. Is ergo missis legatis ad Ostrogotham, cuius adhuc imperio tam Ostrogothae quum Vesegothae, id est utrique eiusdem gentis populi, subiacebant, inclusum se montium queritans asperitate, silvarumque densitate constrictum, unum poscens e duobus, ut aut bellum sibi aut locorum suorum spatia praepararet. Tunc Ostrogotha, rex Gothorum, ut erat solidi

---

et edd. — *quietam gentem*) Ita bene Mg. Paris. et Epit. *quiete* Ambr. *qui etiam gentem* vulgo. — *Nam*) Hanc particulam addunt Ambr. Mg. Par. Epit. et Grut. — *Burgundiones*) Haec est lectio vulgata, profecta a Rhenano, sed Ambr. firmata. At in Pall. *Burgundzones* legitur, idque non hic solum, sed etiam infra cpp. 44. 55. 58. Mg. Par. *Burgozones* praefert, ed. pr. *Burgunziones*, ed. Paris. ann. 1583. et 1588. *Burgundines*, sed ed. a. 1579. *Burgundiones*, Epit. monstrose quidem, sed ita tamen, ut *z* littera non absit, *Brogmiziones*. Simili modo ac Pall. Mg. Paris. et ed. pr. Graeci nomen gentis efferunt, *Βουργουζίωνες* enim sunt Socrati H. E. VII, 30. in pr. quidem ed. Procopio B. G. I, 12. 13. Agathiae I, 3. *Βουργουνζίωνες* autem Procopio B. G. II, 13. 22. 28. et Socrati Vales. in ed. Lectionem autem *Burgundzones* vel *Burgozones* si spectes, facile videbis, *di* syllabae in Burgundionum nomine idem accidisse, quod eidem in vocibus *Adiabenicus, Abudiacum, diabolus, diaconus, diaeta, diarrhytus* aliisque similibus, ut *di* syllaba in *z* literam transiret, unde *Azabenicus, Abuzacum, zabolus, zaconus, zeta, zarrhytus* effictum. Qua de re videsis Salmas. ad Capitol. Anton. Pium c. 12. Cellar. et Veenhus. ad Plin. Epist. V, 6, 20. VV. DD. ad Anton. Itiner. p. 21. ed. Wessel. Munker. ad Fulgent. de virg. cont. p. 750. Rosweyd. ad Paulin. Nol. ep. I. n. 2. — *coepit*) Mallem *cupit*, quomodo *cupimus* et *coepimus* permutata quoque invicem videmus infra c. 48. — *missis legatis*) Ita Pall. quod vulgo legitur *misit legatos*, profectum videtur a librario, qui anacoluthon vitari vellet. — *utrique eiusdem gentis populi*) Sic Pall. cum edd. Paris.

animi, respondit legatis, bellum se quidem tale horrere, durumque fore et omnino scelestum armis confligere cum propinquis, loca vero non cedere. Quid multa? Gepidae in bella irruunt, contra quos, ne minor iudicaretur, movit et Ostrogotha procinctum, conveniuntque ad oppidum Galtis, iuxta quod currit fluvius Auha, ibique magna partium virtute certatum est, quippe quos in se et armorum et pugnandi similitudo commoverat; sed causa melior vivacitasque ingenii iuvit Gothos. Inclinata denique parte Gepidarum proelium nox diremit. Tunc relicta suorum strage Fastida, rex Gepidarum, properavit ad patriam, tam pudendis opprobriis humiliatus, quam fuerat elatione erectus. Redeunt victores Gothi, Gepidarum discessione contenti, suaque in patria feliciter in pace versantur, usque dum eorum praevius exsisteret Ostrogotha.

---

et Garet. *eiusdem gentis populi* vulgo. — *loca*) Ambr. cum Rod. *loco.* — *ne minor iudicaretur*) Sic Pall. Ambr. Mg. Par. *ne nimii iudicarentur* vulgo. — *Galtis*) Ambr. *Caltis,* Epit. *Balthis,* Bonf. *Balthum.* — *Auha*) Sic Pall. pro vulg. *Aucha*, Mg. Par. *Houna,* Epit. cum Bonf. *Aucta;* Schaffarikius in: *Abkunft der Slawen* p. 102. in vulg. *Aucha* (nam Pall. lectio eum fugiebat) transpositas esse duas literas censet legendumque *Vacha, Wag* sive Wáh, ad quam posteriorem pronunciationem, si literas *a* et *u* transponas, lectio a nobis recepta magis etiam accedit. — *pugnandi similitudo*) Ita Pall. *pugnae similitudo* vulgo. — *vivacitasque ingenii*) Sic Pall. Ambr. Mg. Par. *vivaxque ingenium* vulgo.— *iuvit*) Sic pro vulg. *iuvat* Pall. cum Mg. Par. — *proelium nox diremit*) Hanc Rhenani coniecturam (nam ed. pr. *proelium mox dirimitur* exhibet) ad unum omnes nostri retinuerunt editores. — *discessione*) Ita pro lectione edd. pr. *descensione* primus dedit Vulcanius e Mg. ed. Leuncl. vel Par. — *in patria feliciter in pace versantur*) Sic pro vulg. *in patria nostri in pace versantur* Pall. cum Ambr. Mg. Par. Exc. Rod.

XVIII. Post cuius decessum Cniva exercitum dividens in duas partes, nonnullos ad vastandam Moesiam dirigit, sciens eam negligentibus principibus defensoribus destitutam; ipse vero cum septuaginta millibus ad Eustesium, id est Novas, conscendit. Unde a Gallo duce

---

Cap. XVIII. *Cniva*) Libri scripti hoc in nomine consentire videntur, necnon edd. sed aliter praeferunt qui exscripserunt nostrum: nam Exc. *Oniba* exhibent, Rod. *Gniva*, Epit. et Bonf. *Euchina*. — *ad vastandum Moesiam*) Ed. Garet. *ad vastandam Moesiam*. — *septuaginta*) Mg. Par. LXXX. — *millibus*) Hanc Leunclavii emendationem Vulcanius in textum admisit, prioribus edd. *militibus* praeferentibus, ut inepte satis, ita frequenti utriusque vocis permutatione, ut docet Drakenborchius ad Liv. XXXI, 41, 10. — *ad Eustesium id est Novas*) Pall. *Euscesium*, Ambr. *Eoscesium*, Epit. *Evaestesum*, Bonf. *Eustesum*, quas lectiones omnes esse corruptas, vix dubitandum, quamquam qui veram eruat, vix erit. Tentavit locum iam Cluverius G. A. L. III, c. 43. p. 677. *Neustesium* pro *Eustesium* proponens legendum, addito, quam urbem *Novas* Romani, eam *Neustaet* appellavisse Gothos has oras tunc obsidentes. Contra Wesselingius ad Anton. Itiner. p. 218. improbata Cluverii coniectura, Ambrosiani vestigiis insistens fueritne olim *ad Oescum*, *Uton et Novas* considerandum offert lectoribus. *Oescum* quidem sive *Euscum* (v. infra) et ipse in priori nomine deprehendisse mihi sum visus; de *Uto* tamen est, quod dubitem, quamquam id oppidum ab Oesco non multum abfuisse, non sum nescius. Vix enim video, qui vocabula *Oescum* et *Uton* in *Eoscesium* potuerint coalescere: coaluisse tamen in unam duas voces, satis video. Quid igitur, si legas *ad Euscum* (sive Oescum), *Siostam et Novas?* *Euscum* et *Siostam*, quum literae utriusque vocabuli non plane sint absimiles, in unum facile potuisse confundi vel alterum ab altero tantum non absorberi, nemo non videt. Sita autem fuit *Siosta* non minus quam *Oescus* in Moesia inferiori vel in illa eius potius parte, quae *Dacia ripensis* appellabatur, ut apparet e Notitia Imper. Orient. c. 39. At Reichardus in: *Samml. kl. Schriften aus dem Gebiete der mathemat. u. alt. Geograph.* p. 73. securus scilicet de scriptura *Eustesium*, „*die Lage von* ad Novas — inquit — *zeigt uns Jornandes in ihrem umgetauschten Namen* Eustesium, *dem heutigen* Sistow, *und dass Jorn. keine Unwahrheit sage, dafür bürgt uns das sehr genaue Maas der Itinerarien von* Transmarisca (*j.* Totorkan), *der Mündung des* Mariscus (Ardsjisch)

remotus, Nicopolim accedit, quae iuxta Iatrum fluvium est constituta notissima; quam devictis Sarmatis Traianus et fabricavit, et appellavit Victoriae civitatem. Ubi Decio superveniente imperatore tandem Cniva in Haemi partibus, quae non longe aberant, secessit, inde apparatu disposito Philippopolim ire festinans. Cuius secessum Decius imperator cognoscens, et ipsius urbi ferre subsidium gestiens, iugo Haemi montis transacto ad Berrhoeam venit. Ibique dum equos exercitumque lassum refoveret, illico Cniva cum Gothis in modum fulminis ruit, vastatoque Romano exercitu imperatorem cum pauculis, qui fugere quiverant, ad Eusciam rursus

---

gegenüber als dem nächsten ganz unzweifelhaften Ort. — *remotus*) Ambr. *repulsus.* — *constituta*) Mg. Par. *constructa.* — *quam devictis*) Sic pro vulg. *quoniam devictis* Ambr. cum Epit. — *et fabricavit*) Sic Grut. ed. nam vulgo *eam fabricavit.* — *in Haemi partibus*) Sic Pall. cum Ambr. nisi quod hic rationi grammaticae convenientius *partes*, quod et edd. habent. Praeterea vulgo *Haemoniae* legitur, unde fluxit *Gemoniae* Epitomes et *Hermoniae* Bonfinii. At lectio vulgata hic minime potest locum habere, quum Haemonia fuerit eadem quae Thessalia, antiquo et poetico nomine. Et si quis obiiciat, poetico hic esse usum Iordanis non minus quam alias *Hesperia* pro *Italia*, *Trinacria* pro *Sicilia*, *eous* pro *orientalis* cet. ab eo ponatur, vel ipsius auctoris verba nihili esse lectionem vulgatam docebunt. Etenim cum in Moesia primum, post in Thracia, quae terrae longe absunt a Thessalia, res esse gestae narrentur, qui tandem, etiamsi de Thessalia loqueretur noster, Haemonia partes i. e. Thessaliam non longe abfuisse dicere potuisset auctor? — *aberant*) Sic pro lectione ed. pr. *aberat* dedit Leunclav. — *secessit*) Sic optime Pall. pro vulg. *recessit.* — *ipsius urbi*) Ed. Grut. *ipsi urbi.* — *iugo Haemi montis*) Vocem *Haemi*, quae in edd. non visitur, addunt Pall. Ambr. Mg. Par. — *ad Berrhoeam)* Sic optime Bonfinius: vulgo *Berroeam* exhibetur, quae lectio Leunclavium auctorem habet: edd. pr. et Par. *Beroam* praeferunt, Epit. *Kerocam.* — *cum pauculis*) Sic pro vulg. *cum paucis* ed. Grut. — *Eusciam*) Sic ed. Grut. sed cod. Florent. *Eosciam*, Mg. Par. *Eusthiam*, Epit. cum ed. pr. *Tusciam*, Bonf. *Thessaliam*; v. *Thusciam:* quarum lectionum ut nulla proba est, sic vera in lectione ed. Grut. et cod. Florent. latere

trans Alpes in Moesiam proturbavit, ubi tunc Gallus dux limitis cum plurima manu bellantium morabatur; collectoque tam exinde quam de Eusco exercitu, futuri belli se parat in aciem. Cniva vero diu obsessam invadit Philippopolim, praedaque potitus, Priscum ducem, qui inerat, sibi foederavit, quasi cum Decio pugnaturum. Venientesque ad conflictum, illico Decii filium sagitta saucium crudeli funere confodiunt. Quod pater animadvertens, licet ad confortandos animos militum dixisse fertur: nemo tristetur, perditio unius militis non est reipublicae diminutio, tamen paterno affectu non ferens, hostes invadit, aut mortem aut ultionem filii exposcens, veniensque ad Abritto, Moesiae civitatem, cir-

---

videtur, quae est *Euscum* sive *Eoscum* (ut et *Theudericus* et *Theodericus* legitur) pro *Oesco* Ptolem. III, 10, 10. et *Escus* in Tabul. Peuting. plura tamen de scriptura nominis alio loco dabuntur. Quod ad lectionem *Tusciam* vel *Thusciam* attinet, debet ea librariis originem, qui Alpium mentione iniecta de Italia cogitantes, nomen ipsis inauditum in notius reique, ut ipsis videbatur, magis accomodatum, mutarent. Neque minus lectio *Thessaliam* ab ipso videtur esse profecta Bonfinio, qui et ipse quod nomen liber suus offerebat, non concoqueret. — *dux limitis*) Ita optime pro lectione ed. pr. *militis* Rhenanus: *duces* enim limitibus praefuisse inclinante imperio notius est e scriptoribus Historiae Augustae et Notitia imperii quam quod multis probari debeat. — *de Eusco*) Sic Pall. etsi alter emendatus habeat *de Tusco,* cum prius fuisset *deusco.* vulgg. *de hoste.* GRUT. Ambr. *Edeusco*, cod. Florent. *ex deusca.* — *se parat in aciem*) Ita Pall. neque multo aliter Ambr. *se praeparabat in aciem*; v. *reparat aciem.* — *pugnaturum*) Rod. *pugnaturus.* — *crudeli funere*) Haec est lectio Pall. quam vel ideo non reiecerim, quia Virgilium h. l. videtur imitari noster, apud quem bis, Eclog. V, 20. Aen. IV, 308. *crudeli funere* legitur: quod edd. exhibent *vulnere*, habet etiam Rod. — *paterno affectu*) Sic Pall. lectio vulg. *paternum affectum* a Rhenano est: nam ed. pr. *paternum effectum* exhibet. — *veniensque*) Ambr. *veniens.* — *ad Abritto*) Multum variatur in hoc nomine: in ed. pr. *abruto* legitur, quod Rhenanus in *abrupto* mutavit, quae lectio in insequentes omnes, Gruter. excepta, est propagata. Ambr. *ad Abritum* sistit, Mg. Par. *ad Abitrum*, Epit. *Abrutum*, Bonf. *Abrutium*

cumseptus a Gothis et ipse exstinguitur, imperii finem vitaeque terminum faciens. Qui locus hodieque Decii ara dicitur, eo quod ibi ante pugnam mirabiliter idolis immolaret.

XIX. Defuncto tunc Decio Gallus et Volusianus regno potiti sunt Romanorum, quando et pestilens morbus, paene istius necessitatis consimilis, ut nos ante hos

---

Lectio recepta a Pall. est neque receptae eius poenitet. Eodem enim vel simili certe modo loci illius nomen efferunt et alii auctores: sic *occubuit Abritto* noster ipse R. S. c. 82. *in Abritto* Prosper ad a. 251. *in Abricio* Cassiodorus Chron. ad a. 252. Neque Graeci ignorant locum: Syncellus Chronogr. p. 705. ἐν Ἀβρύτῳ, Chronicon Pasch. p. 652. ed. Rader. ἐν Ἀβύρτῳ, transpositis literis pro ἐν Ἀβρύτῳ; Procopio Aedif. IV, 1. ut nostro, Ἄβριττος est locus, Hierocli p. 636. Ἔβραιττος. Haec de nomine loci, ubi Decius occubuit. At miretur fortasse quis, cur lectioni Ambr. *ad Abrittum*, quum rationi grammaticae sit conveniens, lectionem *ad Abritto* praetulerim, *ad* praepositione cum sexto structa casu. Verbo ut dicam, quia pro genuina eam haberem. Nam labente ac lapsa Latinitate ablativi nominum urbium pro indeclinabilibus usurpabantur, quemcunque casum constructio poscebat, quod sexcentis exemplis cum alii probant illorum temporum scriptores, tum Aethicus, Iulius Honorius, Tabula Peuting. Geographus Ravennas et diserte affirmat Consentius in Grammat. veterib. ed. Putsch. p. 2030. *interdum* — inquit — *efferuntur* (civitatum nomina) *novo modo et quasi monoptota, ut Curibus, Trallibus, Sulcis, Servicis, Tigavis:* qua de structura v. quae annotarunt Salmasius ad Poll. Claud. c. 12. id. ad Vopisc. Prob. c. 17. et ad Solin. T. I. p. 546. Keuchen. ad Frontin. de Colon. p. 415. Munker. ad Hygin. Fab. 15. Wesseling. denique ad Anton. Itiner. p. 12. 59. 345. 363. Exemplis autem congestis ab illis addi possunt e nostro ipso infra c. 58. *apud civitatem cognomine Margo plano*; e Gregorio Tur. II, 17. *Attila Aurelianis aggreditur;* ex Eugippio vit. Sever. c. 14. *oppidum quod Iuvavo appellatur*, c. 33. *oppidum Batavis*, ibid. *oppidum Favianis*, c. 30. *Lauriaco se conferre;* e Fastis Idatianis ad a. 294. *castra facta contra Acinco et Bononia.* — *mirabiliter*) Sic Pall. cum Ambr. *miserabiliter* vulgo. — *immolaret*) Mallem cum Epit. *immolarat.*

Cap. XIX. *morbus*) Mg. Par. *annus morbis.* — *ut nos*) Malim fere cum antiquis libris *quod nos.* verosimile enim id auctoris pro-

novem annos experti sumus, faciem totius orbis foedavit, supra modum tamen Alexandriam totiusque Aegypti loca devastans, Dionysio historico super hanc cladem lacrymabiliter exponente, quam et noster conscripsit venerabilis martyr Christi, episcopus Cyprianus, in libro, cuius titulus est *de Mortalitate.* Tunc et Aemilianus quidam, Gothis saepe ob principum negligentiam Moesiam devastantibus, ut vidit licere, nec a quoquam sine magno reipublicae dispendio removeri, similiter suae fortunae arbitratus posse evenire, tyrannidem in Moesiam arripuit, omnique manu militari ascita coepit urbes et populos devastare. Contra quem intra paucos menses dum multitudo apparatus accresceret, non minimum incommodum reipublicae parturivit; qui tamen in ipso paene nefario conatus sui initio exstinctus, et vitam et imperium, quod inhiabat, amisit. Supradicti vero Gallus et Volusianus imperatores, quamvis vix biennio in imperio perseverantes, ab hac luce migrarint, tamen ipso biennio, quo affuere, ubique pacati, ubique regnavere gratiosi, praeterquam quod unum eorum fortunae repu-

---

prium. GRUT. — *supra modum tamen*) Sic Pall. sed Epit. *vero*; vulg. *quoque.* — *quam et noster*) Iidem mss. *quod et noster.* Scias germanum scriptoris. GRUT. — *nec a quoquam*) Mg. ed. pr. *nec quoquam.* — *in Moesiam*) Mg. Par. *in Misia,* quod correctoris magis, quam Iordanis manus: nam *in* praepositionem cum ablativo nonnunquam pro quarto casu strui, observatum iam, ut recentioris aetatis viros doctos omittam, a Gellio I, 7. XVII, 2. — *dum multitudo—accresceret*) Ita Pall. sed edd. omissa *dum* particula participioque posito *multitudo apparatus accrescens.* — *nefario conatus sui initio*) Mallem cum Epit. *nefarii c. s. i.* — *quod inhiabat*) Sic Pall. Ambr. Mg. Par. structura non adeo solenni: effert tamen et Plautus verbum illud quarto casu ut Stich. IV, 2, 25. *illic homo tuam hereditatem inhiat* id. Mil. Glor. III, 1, 20. *bona mea inhiant*: vulgo *quod invadebat* legitur. — *praeterquam quod*) Hanc lectionem Vulcanius e Mg. ed. Leuncl. primus in textum induxit: nam edd. pr. et Par. *praeterque* sistunt, Mg. Par. *praeter.* —

tatum est, id est generalis morbus, sed hoc ab imperitis et calumniatoribus, qui vitam solent aliorum dente maledico lacerare. Hi ergo mox, ut imperium adepti sunt, foedus cum gente Gothorum pepigere, et nec longo intervallo utrisque regibus occumbentibus Gallienus arripuit principatum.

XX. Quo in omni lascivia resoluto Respa et Veduco, Thuro Varoque duces Gothorum sumptis navibus Asiam transiere, fretum Hellesponticum transvecti, ubi multis eius provinciae civitatibus populatis opinatissimum illud Ephesi Dianae templum, quod dudum dixeramus Amazonas condidisse, igne succendunt. Partibus Bithyniae delati, Chalcedonam subvertere, quam post Cornelius Avitus aliqua parte reparavit, quae hodieque, quamvis regiae urbis vicinitate congaudeat, signa tamen

---

vitam solent—lacerare) Meliori si scriptori curam meam impenderem, *famam* proponerem legendum, ut habetur apud Liv. XXXVIII, 54. *nisi et ipsius fama sepulti laceretur.* — *utrisque regibus*) Sic Pall. cum edd. pr. et Par. necnon Exc. Quod vulgo legitur *utriusque*, ortum fortasse operarum vitio, ex ed. Vulcan. in reliquas est propagatum.

Cap. XX. *Quo—resoluto*) Ita restitui ex edd. Vulcanii antegressis, qui primus, quo commodius caput inchoaretur, demonstrativum pronomen relativo substituit. — *Respa—Varoque*) Magna in his nominibus lectionis discrepantia aliis aliter verba iungentibus aut disiungentibus. Quam nos exhibuimus, ea est lectio vulgata, a quastat Grut. quoque editio, nisi quod *Thur* pro *Thuro* habet: Ambr. *Turvaroque* sistit, Mg. Par. variata constructione *Tarvaroque ducibus*, ita ut *Tarvarus* sit nominativus, Exc. *Respa et Veducus Thurbarusque*, Epit. *Respa, Veduco Thuroaroque*, Bonf. *Resparducus et Tharoarus.* — *fretum Hellesponticum*) Cave mutes in *Hellespontiacum*, quod Epit. sistit: sic *Hellesponticum fretum* Mela I, 2, 2. *Satrapia Hellespontica* Iul. Valerius III, 94. — *ubi—populatis*) Ambr. *ubi multas eius Provinciae civitates populati.* — *quod dudum—condidisse*) Haec complectitur Ambr. duobus his verbis *opus Amazonum.* — *Chalcedonam*) Sic Pall. cum Epit. nisi quod in hac *C* litera non est aspirata; vulg. *Chalcedoniam.* — *Avitus*) Epit. *ab imis*, Rod. *habitus.* — *vicinitate*) Sic Pall.

suarum ruinarum aliquanta ad indicium retinet posteritatis. Hac ergo felicitate Gothi, qua intraverant partibus Asiae, praedas spoliaque potiti, Hellesponticum fretum retranseunt, vastantes in itinere suo Troiam Iliumque, quae vix a bello illo Agamemnoniaco aliquantulum se reparantes, rursus hostili mucrone deletae sunt. Post Asiae ergo tale excidium Thracia eorum experta est feritatem. Nam ibi ad radices Haemi montis mari vicinam Anchialos civitatem aggressi mox adeunt, urbem, quam dudum Sardanapalus, rex Parthorum, inter limbum maris et Haemi radices locasset. Ibi ergo multis feruntur mansisse diebus, calidarum aquarum delectati lavacris, quae a duodecimo milliario Anchialitanae civitatis sunt sitae, ab imo sui fontis ignei scaturientes, et inter

---

Ambr. Mg. Par. Epit. *civitate* vulgo. — *ad indicium*) Ita pro vulg. *ad indicia* Pall. cum Ambr. — *posteritatis*) Mg. Par. *potestatis*. — *intraverant*) Sic Pall. pro vulg. *intravere*. — *partibus*) Mg. Par. *partes*, quae lectio correctorem sapit: lectionem vulgatam tuentur similes apud Iordanem loci ut supra c. 18. *in Haemoniae partibus secessit*, c. 24. *finibus advenere*, c. 34. *in suis finibus egredi*, infra c. 55. *munito loco ductavit exercitum*, c. 57. *finibus Italiae intrat*, R. S. c. 5. *Medorum sunt in partibus transductae*, ibid. *reversus in regno suo*. V. de hac *in* praepositionis structura quae monuit quosque laudavit Grunerus ad Aurel. Vict. Orig. G. R. c. 14, 3. — *praedas spoliaque potiti*) Sic pro vulg. *praeda spolioquè potiti* Pall. quomodo noster et alias ut cpp. 4. 56. *potiri* verbum struit. — *retranseunt*) Sic Pall. pro vulg. *retransmeant*. — *se reparantes*) Sic Pall. Ambr. Mg. Par. pro vulg. *respirantes*: et invenerunt illud verbum in suis quoque libris Rodericus et auctor Excerptor. quorum ille *erant reparata* exhibet, hic *reparata erat*. — *Anchialos*) Ambr. *Anchilialos*, Epit. *Michialos*. — *Ibi ergo*) Sic ed. Grut. pro vulg. *ibi enim*. — *a duodecimo milliario*) Sic Pall. cum Ambr. sed Mg. Par. *ad XII miliarium*: vulgo *a quinto decimo miliario*, Epit. *decimo milliario*, Bonf. *ad decimum usque lapidem*: sed qui a nobis exhibitus est duodenarius numerus, confirmatur Tabula Peuting. *Aquis calidis M. P. XII ad Anchialo*. — *ignei*) Sic pro vulg. *igne* Pall. cum Mg. Par.

reliqua totius mundi thermarum innumerabilium loca omnino praecipue ad sanitatem infirmorum efficacissimae.

XXI. Exinde ergo ad proprias sedes regressi, post haec a Maximiano imperatore ducuntur in auxilium Romanorum contra Parthos rogati, ubi omnino datis auxiliariis fideliter decertati sunt. Sed postquam Caesar Maximianus paene cum eorum solatio Narseum, regem Persarum, Saporis Magni nepotem, fugasset, eiusque omnes opes simulque uxores et filios depraedasset, Achillemque in Alexandria Diocletianus superasset, et

---

praecipue — efficacissimae) Pall. *praecipua et ad san. inf. efficacissima:* quid si legas *praecipuae et — efficacissimae?*

Cap. XXI. *Exinde—decertati sunt*) Vulcanius posito post verbum *regressi* puncto a voce *post* novum caput exorsus est; nos vero, secuti edd. antiquiores, in quibus a particula *exinde* usque ad verba *decertati sunt* uno sermo decurrit tenore, non interruptum usque ad verbum *sunt* servavimus verborum ordinem, initio capitis a voce *exinde* facto. — *ducuntur*) Pall. *rediguntur*, quam lectionem, nisi mavis *redimuntur*, e repetita praecedenti syllaba ortam arbitror. — *in auxilium*) Ita Pall. pro vulg. *in auxilia.* — *omnino*) Haec vox, quae ab omnibus edd. abest, Pall. debetur. — *decertati sunt*) Sic Pall. neque *decertaverunt* hic, et *decertavit* infra cum Ambr. et Exc. legendum: quae lectio a librariis profecta, quos fugeret, *decertari* etiam deponentis instar verbi usurpari a nostro. Ita idem verbum infra c. 58. recurrit idque sine lectionis varietate, itaque utitur verbo simplici Hyginus Fab. 273. *fecit ludos gymnicos, in quibus certati sunt cursu Nestor* et *Helenus.* — *paene*) Haec vox suspecta est mihi: legendum fortasse *plane* vel *bene*, quam posteriorem quidem vocem cum vocabulo *paene* commutari nonnunquam monet Tzschuck. ad Mel. I, 9, 2. — *solatio*) Ambr. *solatiis.* — *Narseum)* Hanc revocavi lectionem ex Epit. et edd. qui Vulcanii antecedunt. Hic primus *Narsem* dedit, temere satis, ut liquet ex Eutrop. IX, 14. (22), Lactant. M. P. c. 9, 5. Victor. Caes. c. 39, 35. Sext. Ruf. c. 25. Oros. VII, 25. nostroque ipso R. S. c. 88. Ambr. *Narse vero* exhibet. — *Diocletianus superasset*) Sic Pall. cum Mg. Par. cum vulgo *cum Diocletiano super-*

Maximianus Herculius in Africa Quinquegentianos attrivisset, pacem reipublicae nacti coepere quasi Gothos negligere. Nam sine ipsis dudum contra quasvis gentes Romanus exercitus difficile decertatus est. Apparet namque frequenter, quomodo invitabantur, sicut et sub Constantino rogati sunt, et contra cognatum eius Licinium arma tulere, eumque devictum et in Thessalonica clausum, privatum imperio Constantini victoris gladio trucidarunt. Nam et ut famosissimam et Romae aemulam in suo nomine conderet civitatem, Gothorum interfuit operatio, qui foedere inito cum imperatore quadraginta suorum millia illi in solatia contra gentes varias obtulere; quorum et numerus et militia usque ad prae-

---

asset legeretur: fuerit fortasse *Achillemque—cum Diocletianus superasset*, ex qua lectione, quum librarius vocem *cum* pro praepositione cepisset, orta est vulgata. — *Quinquegentianos*) Hanc lectionem pro *Quinquagentianos*, quod edd. tenent antiquiores, e Mg. Leunclav. recepit Vulcanius. — *decertatus est*) Ambr. cum ed. Lindenbr. *decertavit*. — *privatum imperio*) Ed. pr. *privatum ab imperio*, ut et aliis eius locis *privare* verbum cum *a* praepositione struitur, quam ubique delere Rhenanus non neglexit. — *Nam et ut*) Sic pro vulg. *nam et dum* Pall. cum Exc. — *conderet*) Sic pro *condiderit*, quod edd. pr. exhibent, dedit Leunclavius. — *numerus*) Mallem *numeri*: quod quid sibi vellet, quum non intelligerent librarii, singularem pro plurali posuerunt. *Numeri* autem appellabantur cohortes, manus, vexilla, ipsae etiam legiones, vel, verbo ut dicam, corpus militum quodlibet aut scholam significabat vox illa, plurali plerumque numero usurpata neque Latinis solum scriptoribus, sed Graecis etiam, quibus *νούμεροι* vel *νούμερα*, interdum etiam *ἀριθμοί*: quorum numerorum suum unus quisque nomen habebat: sic leguntur in Notitia Imp. *numeri Fortensium, Turnacensium*, *Barbaricorum*, *Nerviorum* cet. Et quod ipsorum Gothorum in Romano exercitu militantium numeros attinet, habes in eadem Notitia inter vexillationes Palatinas *comites Taifalos*, inter auxilia Palatina *Tervingos* ac sub dispositione ducis Syriae *cohortem primam Gothorum*. Plura de *numeris* dabunt Lipsius ad Tacit. Hist. I, 6. Torrentius ad Suet. Vespas. c. 6. Puteanus ad Panegyr. XI, 10, 3. Valesius ad Ammian. XX, 1, 3. Salmasius ad Vopisc. Firm.

sens in republica nominantur, id est Foederati. Tunc etenim sub Ariarici et Aorici regum suorum florebant imperio. Post quorum decessum successor regni exstitit Geberich, virtutis et nobilitatis eximius.

XXII. Nam hic, Helderich patre natus, avo Ovida, proavo Nidada, gloriam generis sui factis illustribus exaequavit, primitias regni sui mox in Vandalica gente extendere cupiens contra Visimar, eorum regem, qui Asdingorum e stirpe, quae inter eos eminet genusque indicat bellicosissimum, Dexippo historico referente,

---

c. 4. Goar ad Theophan. p. 382. Schwebelius ad Veget. R. M. II, 19. Cangius denique in Glossar. Lat. v. *numeri* et Graec. v. *ἀριθμοί*. — *militia*) Sic Pall. et Ambr. cum Exc. et ed. Lindenbr. *millia* vulgo. — *nominantur*) Haec lectio a Rhenano est: nam ed. pr. *nominatur* tenet. — *Ariarici*) Sic Pall. Ambr. Mg. Par. Exc. Epit. ed. pr. eodem modo effertur nomen ab Anonymo Vales. p. 550. Roderico vero *Ariacus* idem est, Bonfinio *Arioricus*: quod vulgo legitur *Ararici*, a Rhenano fluxit. — *Aorici*) Mg. Par. *Atrici*, Exc. *Ariorici*; Roderico *Auricus* est idem. — *Geberich*) Pall. hic quidem *Giberith* habent, sed cap. seq. vulgatum *Geberich* retinent: Ambr. *Giberiet* semper; Roderico *Geberic* nominatur idem, Bonfinio *Gebericus* et in Epit. *Heberichus*. — *virtutis—eximius*) Sic Pall. sed Epit. structura usitatiori *virtute et nobilitate eximius*; vulg. *virtutis et nobilitatis eximiae*.

Cap. XXII. *Nam hic*) Sic edd. omnes ante Vulcan. qui primus nomen *Geberich* his verbis substituit. — *Helderich*) Exc. cum Epit. *Hilderico*. — *Ovida*) Exc. *Hovida*. — *Nidada*) Sic Pall. pro vulg. *Cnivida*, Ambr. *Midada*, Exc. *Nida*, Epit. *Chuinida*. — *Visimar*) Ita ed. pr. et infra Paris. nam hic *Visumar* ea exhibet, quod inde ab ea edd. hic quidem, non item infra, obsidet: a manu prima Pall. *Visarma*, emendatumque in altero *Visamar* teste Grutero; Roder. *Huimar* sistit, Exc. *Wisamarum*, Epit. *Bistinarum*. — *qui Asdingorum e stirpe*) Relativum, quod ego reduxi, exhibet Ambr. cum ed. pr. uncinis inclusit Leunclavius, plane expulit Vulcanius: praepositio *e* a Rhenano est addita, cum ed. pr. ea careret. — *Dexippo*) Ita dedit e Mg. Leuncl. vel Par. Vulcanius: quae huius antecedunt edd. omnes *Deuxippo* exhibent neque minus Pall. cum Epit.

qui eos ab Oceano ad nostrum limitem vix in anni spatio pervenisse testatur prae nimia terrarum immensitate. Quo tempore erant in eo loco manentes, ubi nunc Gepidae sedent, iuxta flumina Marisia, Miliare et Gilpil, et Grisia, qui amnes supradictos excedit. Erat namque illis tunc ab oriente Gothus, ab occidente Marcomannus, a septentrione Hermundurus, a meridie Hister, qui et Danubius dicitur. Hic ergo Vandalis commorantibus bellum indictum est a Geberich, rege Gothorum, ad litus praedicti amnis Marisiae, ubi nec diu certatum est ex aequali, sed mox ipse rex Vandalorum Visimar magna cum parte gentis suae prosternitur. Geberich vero, ductor Gothorum eximius, superatis depraedatisque Vandalis ad propria loca, unde exierat, remeavit. Tunc perpauci Vandali, qui evasissent, collecta imbellium

---

ubi nunc Gepidae sedent) Particulam *nunc*, omissam primum in edd. Leunclav. et Paris. reduxi ex edd. pr. sistunt eandem etiam Pall. — *flumina Marisia*) Ambr. *flumen Marsida*. — *Gilpil*) Sic Pall. cum Ambr. sed Geographus Rav. IV, 14. ubi nostrum in his fluminibus enumerandis sequitur, *Gilpit:* pro *Miliare* autem *Arinc* profert idem, vel nomine *Miliare* detruncato, vel corrupto apud nostrum, vel nomine nomini substituto. — *Grisia*) Sic Ambr. pro vulg. *Grissia;* Geogr. Rav. *Gresia*. — *excedit*) Mannertus in Histor. Vandalor. p. 20. ut coniecturam suam, Grissiam et Tibiscum eundem esse confirmet, *excipit* proponit legendum. — *amnes supradictos*) Ambr. *omnes supradictos*. — *Erat—Hermundurus*) Ita singulariter exhibent Pall. harum gentium nomina, sed in edd. et Epit. pluraliter sistuntur, ut *erant—Gothi-Marcomanni* cet. — *Hermundurus*) Variatur in hoc nomine: *Ermundolus* praefert Ambr. *Ermunduli* edd. pr. et Paris. *Hermundui* Mg. Par. sed operarum, ut videtur, vitio, *Herminduli* Epit. *Hermunduli* Bonf. omnes, ut vides, liquida *r* cum *l* commutata, quod et alias non rarum. Neque apud solum nostrum nominis forma *Ermunduli* sive *Hermunduli* occurrit, sed apud Capitolinum etiam vit. Anton. Philos. c. 22. *Hermunduli* legitur in cod. regio teste Casaubono. — *Marisiae*) Ambr. *Marsiae*, Bonf. *Massiliae*. — *ubi nec diu*) Sic pro vulg. *ubi tunc diu* Pall. cum Ambr. — *evasissent*) Ambr. *evaserant*. — *imbellium*) Mg. Par. *in bellum*.

suorum manu infortunatam patriam relinquentes, Pannoniam sibi a Constantino principe petiere, ibique per sexaginta annos plus minus sedibus locatis imperatorum decretis ut incolae famularunt. Unde etiam post longum ab Stilicone, magistro militum et exconsule ac patricio, invitati, Gallias occupavere, ubi finitimos depraedantes non adeo fixas sedes habuere.

XXIII. Nam Gothorum rege Geberich rebus excedente humanis post temporis aliquod Hermanaricus, nobilissimus Amalorum, in regno successit, qui multas et bellicosissimas arctoas gentes perdomuit, suisque parere legibus fecit. Quem merito nonnulli Alexandro Magno comparavere maiores. Habebat siquidem quos domuerat, Gothos, Scythas, Thuidos in Aunxis, Vasi-

---

per sexaginta annos) Sic Pall. Ambr. Monac. Rod. Exc. Sigib. Gemblac. Epit. Bonf. cum ed. Par. Numero quadraginta annorum, quot vulgo leguntur, vel ipsa temporis ratio repugnat. — *famularunt*) Ambr. *famulabantur*. — *magistro militum*) Bonf. *magistro equitum*, quae lectio non probanda. Fuit enim non *equitum* solum, sed *peditum* etiam magister Stilico seu, quod eodem redit, magister utriusque militiae, ut docent vel Inscriptiones. Est autem idem, qui magister utriusque militiae, *magister militum*.

Cap. XXIII. *Nam Gothorum rege*) Particulam *nam* eiectam a Vulcanio e textu indeque praeter Gruter. in omnibus edd. omissam, reduxi ex edd. pr. — *excedente*) Ita iam Peutingerus pro *excidente*, quod in codice eius legebatur, coniecit. — *Hermanaricus*) Sic Rod. Epit. et Bonf. cum ed. Grut. eandem lectionem, sine aspiratione tamen, sistunt plurimae inde a principe edd. ed. Rhenan. tamen *Ermanaracus* praefert, quae lectio in edd. Leunclav. et Par. repetita invenitur, Lindenbr. *Hermanricus:* in Exc. denique *Hermenricus* est, quam ad lectionem proxime accedit *Ermenrichus* Ammiani XXXI, 3, 1. *Herminerichus* Marcellini Com. ad a. 465. *Herminericus*que Cassiodori Chron. eundem ad annum. — *arctoas gentes*) Haec lectio Vulcanium auctorem habet: priores edd. cum Exc. et Epit. *Arctoi gentes* praeferunt, Mg. vero Par. *Arctoae undecim gentes*. — *Gothos — Coldas*) Haec est inde ab ed. pr. lectio vulgata, quam retinendam duxi, quoniam lec-

nabroncas, Merens, Mordensimnis, Caris, Rocas, Tadzans, Athual, Navego, Bubegentas, Coldas. Sed cum tantorum servitio clarus haberetur, non passus est nisi et gentem Herulorum, quibus praeerat Alaricus, magna ex parte trucidatam reliquam suae subigeret ditioni. Nam praedicta gens, Ablavio historico referente, iuxta Maeotidas paludes habitans in locis stagnantibus, quae

---

tiones Pall. Ambr. et ceterorum maximam quidem partem non minus incertae sunt ac prodigiosae quam illa. Iam igitur Pall. praeferunt *Gothes* (unus tam *Golthes*), *Cythathiudos*, *Inaunxis*, *Merens*, *Mordens*, *Imnis*, *Rogastadzans*, *Athual*, *Navego*, *Bubegenas*, *Coldas*; Ambr. autem *Golthes*, *Etta*, *Thividos*, *Inaxungis*, *Vasina*, *Bovoncas*, *Merens*, *Mordens*, *Remniscans*, *Rogans*, *Tadzans*, *Athaul*, *Navego*, *Bubegenas*, *Coldas*; cod. Monac. (quemadmodum lectiones eius adiecta Vindobb. varietate publicavit Zeussius l. l.) *Golthes* (*Gothos* Vind. 1. *Golthos* Vind. 2.), *Cythathiudos* (*Scythas*, *Thuidos* V. 1. *Thiudos* V. 2.), *Inaunxis*, *Vasinabroncos* (*—as* Vindd.), *Merens*, *Mordens*, *Imniscaris* (*Mordensimnis*, *Caris* Vindd.), *Rogas* (*Rocas* V.), *Tadzans*, *Athaul* (*Athual* V.), *Navego*, *Bubegenes* (*—entas* V.). Excerpta: *Gothos* (Ekk. *Golthes*, sed *Golthos* cod. Stuttg.), *Citathuidos* (var. apud Ek. *Citathindos*), *Inanxos* (var. ap. E. *Manxos*), *Suasos*, *Narboncas* (*Narboneas*, *Narbunxas* var. ap. E.), *Merentes*, *Mordentes*, *Ymnascaros* (*Inniscatos* var. ap. E.), *Roscathaizantes* (*Roscathazantes*, *Cathaizantes* var. ap. E.), *Athaalos*, *Mavegones*, *Bubegenas*, *Holdas*. Epitome: *Gothos*, *Scythas*, *Thindos*, *Manuxes*, *Vasmabrancas*, omissis reliquis nominibus; Bonfinius denique: *Gothos*, *Scythas*, *Indos*, *Maningos*, *Vasmabroncas*, in quo nomine et ipse subsistit. Haec discrepantia lectionis, exsuperante gentium nationumque barbariem ipsorum nominum barbarie. Uniuscuiusque vero nominis quae vera sit scriptura, id non magis erueris, quam quaenam illis nominibus singulatim intelligendae sint gentes, nationes, populi: quare varietatem annotasse contentus ad ulteriora ne confero. — *Sed cum*) Sic Pall. cum Ambr. *et cum* vulgo. — *clarus*) Sic pro vulg *carus* Pall. Ambr. Mg. Par. Rod. Exc. — *gentem Herulorum*) Ita Exc. Epit. edd. Lindenbr. et Grut. aspiratio vulgo non comparet. — *reliquam*) Sic pro lectione ed. pr. *reliqua* dedit Rhenanus, malim tamen *reliquae*. — *iuxta Maeotidas paludes habitans*) Ambr. *iuxta Maeotidem paludem inhabitans*, orta, ut videtur, syllaba *in* e terminatione antegressae vocis. Singularem numerum etiam Exc. praeferunt. — *quae*)

Graeci Hele vocant, Heruli nominati sunt, gens quantum velox, eo amplius superbissima. Nulla siquidem erat tunc gens, quae non levem armaturam in acie sua ex ipsis eligerit. Sed quamvis velocitas eorum ab aliis crebro bellantibus non evacuaretur, Gothorum tamen

---

Sic pro vulg. *quas* optime Ambr.; ad *loca* enim *stagnantia*, non ad *paludes* referendum est pronomen. — *Graeci*) Cod. Stuttg. *graece*. — *Hele*) Sic pro *Ele* exhibet in sua Lindenbr. iuvat hanc lectionem quod in Exc. legitur *helle*. — *Eluri nominati sunt*) Sic pro *Eruli* Pall. a prima manu et Ambr. sed plura dant Exc. *Heruli quasi Helludi nominati sunt:* quibus verbis, si legas *Heruli quasi Eluri,* mihi quidem vera inesse videtur lectio iisque demum adiectis completa fieri oratio. Nam si *Heruli* tantummodo legas, quomodo ortum sit e voce *ele* sive *hele Erulorum* sive *Herulorum* nomen, non cuivis liquet: contra, si *Eluri* duntaxat, cur non appellentur ita. — *nominati sunt, gens*) Edd. Leuncl. et Par. *nominati sunt omnes*. — *quantum velox*) Sic Pall. cum Exc. *quanto velox* vulgo. — *elegerit*) Sic ed. Grut. sed Amb. *eligeret;* vulg. *elegerint*. — *crebro*) Ita Ambr. Exc. ed. Grut. *saepe* vulgo. — *non evacuaretur*) Pall. *evagaret*, Amb. *evagaretur* omissa negatione omnes. Exc. *eos tutaretur;* optime, si ita in libro suo deprehendit auctor eorum, vereor tamen, ne ab ipso potius quam a cod. profecta sit haec lectio. Vulgatam, quum ineptissimum praebeat sensum, vix erit qui toleret, nisi quis ita capiat *evacuare* verbum, ut idem sit, quod irritum reddere (qua de significatione verbi v. Gothofred. ad cod. Theodos. L. XI, tit. 1. n. 30. eiusdemque glossar. nom. ad eundem et Cang. Glossar. v. *vacuus*). Fecit id Kruse in: *Urgeschichte des Esthnischen Volksstamms* cet. Moscov. 1846. p. 131. ita vertens verba nostri: *Aber obgleich ihre Schnelligkeit zu Pferde* (!) *von andern oft (gegen sie) Krieg führenden nicht unnütz gemacht wurde, so* cet. Neque satisfacit lectio Pall. et Ambr. quanquam in hac veram latere lectionem existimo. Quid enim si legas *evocaretur?* unde is prodeat sensus: quamvis ob velocitatem crebro ab aliis bella gerentibus ad certamen arcesserentur vel in auxilium vocarentur, Gothorum tamen cet. *evocare* enim verbum idem valet interdum, quod in bellum arcessere, ut apud Caes. B. G. III, 20. et Sallust. Iug. c. 37, 3. vel in auxilium vocare ut Histor. Trip. XII, 12. Possit tamen etiam *evaderet* legi, ut lectio Exc. circumlocutio tantum sit eiusdem sententiae, nisi Iordanis verbo *evagare* vel *evagari* idem ipsum exprimere voluit.

stabilitati subiacuit et tarditati, fecitque causa fortunae, ut et ipsi inter reliquas gentes Getarum regi Hermanarico servirent. Post Herulorum caedem idem Hermanaricus in Venetos arma commovit, qui, quamvis armis despecti, sed numerositate pollentes, primo resistere conabantur. Sed nihil valet multitudo imbellium, praesertim ubi et deus permittit, et multitudo armata advenerit. Nam hi, ut initio expositionis vel catalogo gentis dicere coepimus, ab una stirpe exorti, tria nunc nomina edidere, Veneti, Antes, Sclaveni; qui quamvis nunc ita facientibus peccatis nostris ubique desaeviunt, tamen tunc omnes Hermanarici imperiis serviere. Aestorum quoque similiter nationem, qui longissimam ripam

---

fecitque causa) Vulcanius *fuitque causa* legendum esse coniicit. — *causa fortunae*) Exc. *causa fortium*. — *servirent*) Ita Pall. Ambr. Exc. *serviverint* vulgo. — *in Venetos*) Mg. Par. *Venthos*. — *despecti*) Sic pro vulg. *disperiti* Pall. Ambr. Rod. Exc. — *primo*) Ambr. *primum*, ed. Par. *primi*. — *multitudo imbellium*) Sic Ambr. cum Mg. Par. *multitudo in bello* vulgo. — *et deus permittit*) Haec verba revocavi ex ed. pr. leguntur quoque in Rhenan. omissa sunt primum in ed. Leunclav. indeque in reliquis omnibus praeter Gruter. et Lindenbr. Exstant etiam in Pall. Ambr. necnon Exc. ex quibus Lindenbrogius in suam ea recepit. — *multitudo armata*) Exc. *multitudo fortium armata*, quam lectionem recepit Lindenbrogius. — *advenerit*) Ambr. *convenit*. — *catalogo gentis*) Mallem *gentium*. — *edidere*) Sic Pall. sed Exc. *sibi indiderunt*; vulg *reddidere*. — *Antes*) Ambr. *Entes*. — *Sclaveni*) Sic pro vulg. *Sclavi* codd. Ambr. et Monac. cum Exc. recepi eorum lectionem, quia Iordanis et alias ut supra c. 5. R. S. c. 122. hac nominis forma utitur, quanquam non sum nescius, legi etiam *Sclavi* apud veteres: sic *Σκλάβος ἀνὴρ* Agath. IV, 20. *Σκλάβοι* Chronic. Pasch. p. 905. 906. — *Aestorum nationem*) Sic Pall. cum Ambr. in altero tamen Palat. *Aeistorum* emendatum, unde quaeritur, num *Aistorum* fortasse scripserit Iordanis, ut *Aisti* apud Eginhardum c. 12 dicuntur iidem. In Exc. et apud Bonf. *Hesti* legitur, in Epit. *Aastii*: *Haesti* appellantur apud Cassiodor. Var. V, 2. de varia veraque nominis scriptura v. Zeuss. p. 267. not. Ceterum iuxta *Aestos* aliam insuper gentem invenerunt in libris suis Aeneas Sylvius et Bonfinius,

Oceani Germanici insident, idem ipse prudentia ac virtute subegit, omnibusque Scythiae et Germaniae nationibus ac si propriis laboribus imperavit.

XXIV. Post autem non longi temporis intervallum, ut refert Orosius, Hunnorum gens omni ferocitate atrocior exarsit in Gothos. Nam hos, ut refert antiquitas, ita exstitisse comperimus. Filimer, rex Gothorum et Gandarici Magni filius, post egressum Scandzae insulae iam quinto loco tenens principatum Getarum, qui et terras Scythicas cum sua gente introisse superius a nobis dictus est, reperit in populo suo quasdam magas mulieres, quas patrio sermone Haliurunas is ipse cognominat, easque habens suspectas, de medio sui proturbat,

---

quorum alter *ad Aastios quoque Hylaricos transivit*, sistit, alter, *item Hestis et Hallaridis bellum indictum*. — *longissimam ripam—insident*) Sic Pall. cum Exc. structura alias quoque ut opp. 24. 25. Iordani usitata; vulg. *longissima ripa—insident*. — *prudentia ac virtute*) Sic Pall. Mg. Par. Exc. nisi quod *et* pro *ac* in his; *prudentiae virtute* vulgo. — *laboribus*) Exc. *laribus*, non inusitata utriusque vocabuli permutatione: v. infra c. 59. et Cassiodor. Var. I, 17. 39.

Cap. XXIV. *exarsit in Gothos*) His verbis in ed. Lindenbr. addita leguntur haec, desumta sine dubio ex Exc. *eosque qui prius timori erant ceteris gentibus, ab antiquis conterritos pepulit sedibus*. — *Gandărici—filius*) Hic quoque sicuti supra c. 4. variatur in nomine regis Gothorum, non in libris quidem scriptis editisve, qui *Gandărici* hic consensu praeferunt, sed ab iis, qui Iordanem exscripserunt: quippe auctor Histor. Misc. XII, 13. et Epitomes *Godărici* sistit, Exc. cum Persona *Gădarici*, quod idem liber Palat. Histor. Misc. exhibet, Rodericus denique *Gardărici*. — *post egressum*) Ita dedit Vulcanius; edd. antiquiores *qui post egressum*. — *qui et terras—introisse* cet.) Ed. Garet. *qui cum et terras—introisset*. — *qui et—dictus est*) Sic optime Pall. nam vulgo *qui et—introisset, sicut a nobis dictum est*. — *Haliurunas*) Sic Pall. nisi quod a prima manu habeant adhuc litera amplius *haliurunnas*. GRUT. Ambr. *Aliuruncas*, Mg. Par. *Aliorunas*, Hist. Misc. et ed. Lindenbr. *Alyrumnas*, Sigib. Gembl. *Alrunnas*, Exc. cum Person. VI, 16. *Alirunas*; idem tamen III, 18. *Alirumnas*; v. *Aliorumnas*. — *is ipse cognominat*) Ambr. *dicunt*.

longeque ab exercitu suo fugatas in solitudinem, coëgit errare. Quas spiritus immundi per eremum vagantes dum vidissent, et earum se complexibus in coitu miscuissent, genus hoc ferocissimum edidere, quod fuit primum inter paludes, minutum, tetrum atque exile, quasi hominum genus, nec alia voce notum, nisi quod humani sermonis imaginem assignabat. Tali ergo Hunni stirpe creati, Gothorum finibus advenere. Quorum natio saeva, ut Priscus historicus refert, in Maeotida palude ulteriorem ripam insedit, venatione tantum nec alio labore experta, nisi quod, postquam crevisset in populos, fraudibus et rapinis vicinarum gentium quietem

---

in solitudinem, coegit errare) Ita Pall. cum Sigib. Gembl. et Epit. eandem lectionem Ambr. Mg. Par. Hist. Misc. et Person. sistunt, nisi quod *in solitudine* habent, quod et Lindenbrogius in ed. sua exhibet; vulg. *in solitudinem coëgit terrae.* — *spiritus immundi*) Explicandi gratia auctor Histor. M. addit *silvestres homines, quos nonnulli Faunos vicarios* (sic legendum, non, ut vulgo, *Phicarios*) *vocant*: quae verba induxerunt eos, qui nostrum cum Histor. M. prae oculis habuerunt, auctorem dico Excerptor. Sigib. Gembl. Vincent. Bellov. Person. S. Anton. alios, ut interpretamentum illud nostri verbis intexerent; quod monere supersedissem, nisi et Lindenbrogius verba illa tanquam Iordanis suae inseruisset. Praeterea post *spiritus immundos* adiectam esse vocem *Satyros* in vetusto cod. ms. Iordanis Vatican. biblioth. ait Desiricius de init. et maiorib. Hungar. comment. T. I. L. I. c. 1. p. 3. n. *n.* — *inter paludes*) Additum legitur in Histor. M. Exc. et apud Sigib. Gembl. *Maeotides*, quod recepit Lindenbrogius. — *quasi hominum genus*) Lindenbrogius *quasi inhumanum genus* in sua exhibet, secutus sine dubio Historiae M. vulgatas edd. at eiusdem cod. Pal. et ipse *quasi hominum genus*, non *inhumanum* praefert. — *nisi quod*) Sic pro vulg. *nisi quae* Pall. Ambr. Histor. M. Rod. Exc. Sigib. exhibent. — *in Maeotida palude*) Haec est lectio edd. pr. quam restituere non dubitavi: nam vox *Maeotida* substantive hic est accipienda ut c. 39. non adiective, ut vocabulum *palus* appositio sit; quod vulgo legitur *Maeotide*, a Leunclavio est. — *in populos*) Ed. pr. *in populis;* emendavit Rhenanus. — *vicinarum gentium quietem conturbavit*) Ita Pall. cum Exc. et Rod. nisi quod hic *com-*

conturbavit. Huius ergo gentis, ut assolet, venatores, dum in ulteriori Maeotidis ripa venationes inquirunt, animadvertunt, quomodo ex improviso cerva se illis obtulit, ingressaque paludem nunc progrediens, nunc subsistens, indicem se viae tribuit. Quam secuti venatores paludem Maeotidem, quam imperviam ut pelagus existimabant, pedibus transiere. Mox quoque, ut Scythica terra ignotis apparuit, cerva disparuit. Quod, credo, spiritus illi, unde progeniem trahunt, ad Scytharum invidiam egere. Illi vero, qui praeter Maeotidem paludem alium mundum esse penitus ignorabant, admiratione inducti terrae Scythicae, et, ut sunt solertes, iter illud nulli ante aetati notissimum divinitus sibi ostensum rati, ad suos redeunt, rei gestum edocent, Scythiam laudant, persuasaque gente sua via, quàm cerva indice didicere, ad Scythiam properant, et quantoscumque obvios in ingressu Scytharum habuere, litavere

---

moda pro *quietem;* v. *vicinam gentem conturbavit.* — *Huius ergo gentis*) Vocem *gentis* addunt Exc. Epit. et Ambr. nisi quod in hoc *gentes* legitur. — *ut assolet*) Ita pro vulg. *solet* Pall. — *ingressaque paludem*) Sic Pall. cum Rod. Exc. Epit. *palude* vulgo. — *indicem se viae tribuit*) Exc. *indicium viae tribuit;* pro *tribuit* Mg. Par. *praebuit* exhibet. — *existimabant*) Haec lectio, quam firmat Rodericus, Rhenano debetur: nam ed. pr. *aestimabant* praefert; Mg. Par. *affirmabant* habet. — *Mox quoque*) Mallem *moxque.* — *invidiam*) Post hoc vocabulum addunt edd. pr. *id* pronomen, quod iam a Leunclavio uncis inclusum Vulcanius expulit e textu. — *Illi vero*) Ambr. *illic vero.* — *praeter Maeotidem paludem*) Ambr. *praeter Maeotidam.* — *terrae Scythicae*) Sic Exc. cum ed. Grut.; v. *terrae Scythiae.* — *nulli ante aetati notissimum*) Ita Pall. cum Exc. nisi quod haec *notum* pro *notissimum;* quam Exc. lectionem, si alias confirmaretur, reciperem; v. *nulli ante hanc aetatem notissimum.* — *rei gestum edocent*) Sic Pall. cum Ambr. sed Exc. *actum edocent*, ed. Par. *rem gestam edocent;* v. *rei gestum edicunt.* — *obvios*) Pro hac voce *prius* in omnibus edd. legitur, sed *obviós* illi vocabulo esse substituendum primus vidit Vulcanius, quanquam non recepit. Confirmant autem coniecturam eius Ambr. (qui tamen et

victoriae, reliquos perdomitos subegere. Nam mox ingentem illam paludem transiere, illico Alipzuros, Alcidzuros, Itimaros, Tuncassos et Boiscos, qui ripae istius Scythiae insidebant, quasi quidam turbo gentium rapuere. Alanos quoque pugna sibi pares, sed humanitate, victu formaque dissimiles, frequenti certamine fatigantes, subiugavere. Nam et quos bello forsitan minime superabant, vultus sui terrore nimium pavorem ingerentes, terribilitate fugabant, eo quod erat eis species pavendae

---

prius retinet), Exc. Epit. Bonf. — *mox ingentem*) Videtur inter utramque hanc vocem *ut* particula excidisse, absorpta post *mox* ab initiali sequentis vocis syllaba. Solenne certe nostro, coniunctam cum *ut* coniunctione *mox* particulam exhibere; v. supra cpp. 19. 19. et h. c. paulo ante, infra vero c. 58. et R. S. cpp. 74. 87. — *Alipzuros—Boiscos*) Magna hic, ut fere barbaris in nominibus, lectionis discrepantia: Pall. eodem modo, quo edd. expressa exhibent nomina, nisi quod *Tuncarsos* sistunt, sed ita ut unus *tunc Arsos* duabus vocibus; Ambr. *Alpilzuros*, *Alchityros*, *Itimaros*, *Tuncarsos*; Monac. *Alpidzuros*, *Archilzuros*, *Tuncarsos*; Vindob. *Adlipzuros*, *Tuncarsos*; Mg. Par. *Alpidzyros*, *Alchridzyros*, *Itimaros*, *Tuncarser* et *Bairchos*; Rod. *Alpizuros*, *Lizuros*, *Iumaros*, *Boiscos*; Exc. *Alpizuros et Alcizuros ac Itimaros, deinde Arsos et Boiscos*; ed. Lindenbr. *Tinicassos*. Qua in tanta lectionis varietate vulgatam retinendam duxi nisi quod *Itamaros* in *Itimaros* mutavi, quum praeter *Itimarorum* et *Boiscorum* nullum harum nationum nomen cum ipso fonte, ex quo haec nostri hausta sunt, Priscum autem dico, plane conveniat et quid ipse invenerit scripseritque Iordanis, minime liqueat cuiquam. Si cui tamen nomina, quomodo apud Iordanem leguntur et quomodo Priscus ea effert, conferre inter se libeat, adscribam Prisci locum ex ed. Bonn. p. 166. *Ὅτι Ῥούα βασιλεύοντος Οὔννων Ἀμιλζούροις καὶ Ιτιμάροις καὶ Τονώσουρσι καὶ Βοΐσκοις καὶ ἑτέροις ἔθνεσι παροικοῦσι τὸν Ἴστρον καὶ εἰς τὴν Ῥωμάιων ὁμαιχμίαν καταφυγγάνουσιν εἰς μάχην ἐλθεῖν προῃρημένος ἐκπέμπει Ἤσλαν.* quanquam me non latet, de alio tempore atque Iordanem loqui Priscum. — *humanitate, victu*) Sic Pall. cum Ambr. et Rod. sed Exc. *immanitate victus*, quod male recepit Lindenbrogius; v. *humanitatis victu*. — *terribilitate*) Hoc vocabulum in Exc. non comparet, quare expulit Lindenbrogius in sua: redundare quidem quivis videt, in omnium tamen librorum consensu retinendum duxi. — *species pavendae nigredinis et*) Sic Pall. Ambr.

nigredinis, et velut quaedam, si dici fas est, deformis offa, non facies, habensque magis puncta, quam lumina. Quorum animi fiduciam torvus prodit aspectus, qui etiam in pignora sua primo die nata desaeviunt. Nam maribus ferro genas secant, ut, antequam lactis nutrimenta percipiant, vulneris cogantur subire tolerantiam. Hinc imberbes senescunt et sine venustate ephebi sunt, quia facies ferro sulcata tempestivam pilorum gratiam per cicatrices absumit. Exigui quidem forma, sed argutis motibus expediti et ad equitandum promptissimi; scapulis latis, et ad arcus sagittasque parati, firmis cervicibus et superbia semper erectis. Hi vero sub hominum figura vivunt beluina saevitia. Quod genus expeditissimum multarumque nationum grassatorem Getae ut viderunt, expavescunt, suoque cum rege deliberant, qualiter se a tali hoste subducant. Nam Hermanaricus, rex Gothorum, licet, ut superius retulimus, multarum gentium exstiterit triumphator, de Hunnorum tamen adventu dum cogitat, Rosomonorum gens infida, quae tunc inter

---

Histor. M. Rod. Exc. Sigib. Gembl. ed. Lindenbr. *species pavenda nigredine sed* vulgo. — *fiduciam*) Rod. *saevitiam*, Sigib. Gembl. *ferociam.* — *qui etiam*) Mallem *quin etiam.* — *subire*) Mg. Par. *suscipere.* — *per cicatrices*) Histor. M. *in cicatrices.* — *argutis motibus expediti*) Ita Pall. Ambr. Histor. M. Rod. Exc. Epit. sed vulg. *arguti*, *motibus expediti*, quomodo legitur etiam in Historiae M. cod. Palat. — *parati*) Exc. *paratis*, in variantibus tamen Ekkehardi lectionibus visitur etiam *parati.* — *et superbia — erectis*) Sic Pall. Ambr. Exc. sed Histor. M. *superbia semper erecti*, quod recepit Lindenbrogius; v. *in superbia semper erecti.* — *multarumque nationum grassatorem*) Ambr. addit *excidio;* Histor. M. pro *grassatorem grassatorium* exhibet, quod recepit Lindenbrogius. — *Rosomonorum gens*) Haec est lectio Pall. Ambr. et ed. pr. ad quam proxime accedunt lectiones cod. Paris. 1890 et Exc. *Rasomonorum*, Paris. 5766. *Rosomorum*, Epit. *Rosomenorum*, Bonf. *Rossomonorum.* Lectionem ed. pr. primus mutavit vel pervertit Rhenanus, qui *Rosolanorum* dedit, sequentibus

alias illi famulatum exhibebat, tali eum nanciscitur occasione decipere. Dum enim quandam mulierem, Suanihildam nomine, ex gente memorata pro mariti fraudulento discessu rex furore commotus equis ferocibus illigatam incitatisque cursibus per diversa divelli praecepisset, fratres eius, Sarus et Ammius, germanae obitum vindicantes, Hermanarici latus ferro petierunt; quo vulnere saucius, aegram vitam corporis imbecillitate contraxit. Quam adversam eius valetudinem captans Balamber, rex Hunnorum, in Ostrogotharum partem movit

---

Leunclavio et editore Parisiensi. Iidem quum in Mg. editionum suarum *Roxolanorum* ascripsissent, sed e coniectura, a Vulcanio in textum admissa est haec lectio, indeque in omnes insecutas edd. propagata; quam tamen in nostra retinere non placuit, scriptura *Rosomonorum* vel ea certe, quae ad hanc duceret, tot librorum auctoritate firmata. Neque, ne loco moverem lectionem vulgatam, id poterat me inducere, quod *Roxolanorum* crebra satis apud veteres mentio, *Rosomoni* vero iisdem plane ignorantur. Nam ego quidem non is sum, qui quodvis nomen gentis alicuius populive obscurum et incognitum, quia semel tantum iterumve apud veteres obvium sit, in notum vulgatumque mutatum velim. Ceterum haud scio, an in *Rosomonorum* nomine prima lateant vestigia eius gentis nominis, quae *οἱ Ῥῶς* sive *Ῥὼς* a scriptoribus Byzantinis appellatur, Russorum vero nomine hodie satis est nobilitata. — *illi famulatum exhibebat*) Pronomen in ed. Lindenbr. non visitur. — *nanciscitur*) Rectius fortasse *paciscitur*. VULCAN., — *Suanihildam*) Ita optime Exc. ad quorum lectionem proxime accedit cod. Paris. 1890. *Suanibilda*, sed Pall. *Sunildam* praeferunt, Ambr. *Sonilda*, cod. Paris. 5873. *Sunihil*, ed. pr. *Sunielh*, Par. *Sanielli*, Leunclav. *Sanielh*, quae lectio in edd. insequentes omnes praeter Gruter. est propagata. *Suanihildae* autem nomen crebro satis obvium est in medii, quodvocant, aevi monumentis, quanquam paululum interdum immutatum: sic *Suanehildis* apud Annalist. Sax. p. 133. 366. ed. Eccard. *Suanahilda* in Pertz. Monument. T. VI. p. 448, *Suanahild* in necrologio Monaster. S. Michael. p. 2. *Suanehild* ibid. p. 89. — *Balamber*) Sic Ambr. cum Person. ut infra c. 48.; Rod. in reb. Hispan. *Alamber*, in histor. vero Hunnor. *Voalamber*, Exc. *Valamber*, frequenti literarum *b* et *v* permutatione; v. *Balamir*. — *in Ostrogotharum partem*) Sic Pall. Ambr. et Exc. nisi quod in his

procinctum, a quorum societate iam Vesegothae quadam inter se contentione seiuncti habebantur. Inter haec Hermanaricus tam vulneris dolorem, quam etiam incursiones Hunnorum non ferens, grandaevus et plenus dierum centesimo decimo anno vitae suae defunctus est. Cuius mors occasionem dedit Hunnis praevalere in Gothis illis, quos dixeramus orientali plaga sedere et Ostrogothas nuncupari.

XXV. Vesegothae, id est alii eorum socii et occidui soli cultores, metu parentum exterriti, quidnam de se propter gentem Hunnorum deliberarent, ambigebant, diuque cogitantes tandem communi placito legatos ad Romaniam direxere ad Valentem imperatorem, fratrem Valentiniani senioris, ut, partem Thraciae sive Moesiae si illis traderet ad colendum, eius legibus viverent, eiusque imperiis subderentur. Et, ut fides uberior illis haberetur, promittunt se, si doctores linguae suae donaverit, fieri Christianos. Quo Valens comperto mox gratulabundus annuit, quod ultro petere voluisset, susceptosque in Moesiae partibus Getas quasi murum regni sui contra ceteras gentes statuit. Et quia tunc Valens

---

Ostrogothorum; v. *in Ostrogothas.* — *Vesegothae—habebantur*) Ita optime Pall. et Ambr. neque multum differt lectio Exc. *quadam inter se contentione disiuncti erant;* v. *Vesegothae discessere, quam dudum inter se iuncti habebant.* — *centesimo decimo*) Epitome et Bonfinius CXIII praeferunt. — *mors occasionem dedit*) Sic Ambr. cum Rod. v. *mortis occasio dedit.* — *in Gothis illis*) Exc. *in Gothos illos*, quod recepit Lindenbrogius.

Cap. XXV. *alii eorum socii et*) Vox *alii* suspecta mihi videtur mallemque *olim* pro illa legere, nisi insiticia sunt quatuor illa verba, ita ut nostri sit manus *Vesegothae, id est occidui soli cultores.* Quod si omnia ab ipso Iordane sunt profecta, *socii* vocabulum hic idem valet, quod populares vel gentiles alias; quo significatu utitur ea voce et ipse Iordanis R. S. c. 60. *ducem Labienum* (Parthi) *exercitui praeponentes contra socios, id est Romanos, dirigunt.* — *ad Romaniam*)

imperator, Arianorum perfidia saucius, nostrarum partium omnes ecclesias obturasset, suae partis fautores ad illos dirigit praedicatores, qui venientibus rudibus et ignaris illico perfidiae suae virus infundunt. Sic quoque Vesegothae a Valente imperatore Ariani potius quam Christiani effecti. De cetero tam Ostrogothis quam Gepidis, parentibus suis, pro affectionis gratia evangelizantes, huius perfidiae culturam edocentes, omnem ubique huius linguae nationem ad culturam huius sectae invitavere. Ipsi quoque, ut dictum est, Danubium transmeantes, Daciam ripensem, Moesiam, Thraciasque permisso principis insedere.

Ed. Grut. *in Romaniam* quod correctorem sapit. Nam apud auctores sequioris aetatis ut scriptores Historiae Aug. Eutropium, Ammianum multosque alios in nominibus regionum *ad* praepositio pro *in* millies invenitur. — *fratrem Valentiniani senioris*) Sic ed. Par. Exc. Epit. Bonfin. v. *fratrem Valentiniani imperatoris senioris.* — *Arianorum perfidia*) Ita pro *Arrianorum*, quod ed. pr. praefert, primus dedit Rhenanus: idem mox *Ariani* correxit pro *Arriani*, quam nominis scripturam cum geminata *r* litera defendere frustra tentat Chiffletius ad Vigil. Taps. p. 137. — *obturasset*) Haec lectio Rhenano debetur; nam in ed. pr. *obdurasset* legitur. — *venientibus*) Ambr. *venientes.* — *infundunt*) Sic pro vulg. *defundunt* Pall. Ambr. Exc. — *Sic quoque*) Mallem *sicque*; Exc. *sic itaque*, quod recepit in suam Lindenbrogius. — *pro affectionis gratia*) Sic Pall. sed Mg. Par. *pro causa affectionis*; v. *per affectionis gratiam.* — *evangelizantes*) Post hoc vocabulum sequuntur in ed. Lindenbr. haec verba: *per Ulphilam episcopum suum Arrianum (qui literas gothicas primus invenit et scripturas in eorum lingua convertit) huius perfidiae* cet. At cave existimes Iordanis esse verba illa. Inseruit ea ex Exc. editioni suae Lindenbrogius, pro Iordaneis perperam ea habens. Nam Excerptorum auctor ut rebus a Iordane narratis aliena plus semel intexit, ita hic quoque assuit, quae in Histor. M. XII, 12. leguntur, adiunctis de suo aliquot verbis. — *omnem—nationem*) Mallem *omnes nationes.* — *invitavere*) Quid si legas *incitavere*? — *Ipsi quoque*) Mallem *ipsique.* — *permisso*) Reduxi hanc lectionem ex ed. pr. pro vulgato *permissu*, quod a Rhenano est. Etenim praeterquam quod *permissum* apud alios quoque legitur, ut apud Horat. Epist. II, 1, 45. et Labeon. apud Ulpian. Digest. 11, t. 7.

XXVI. Quibus evenit, ut assolet gentibus necdum bene loco fundatis, penuria famis, coeperuntque primates eorum et duces, qui regum vice illis praeerant, id est Fritigernus, Alatheus et Safrach, exercitus inopiam condolere, negotiationemque a Lupicino Maximoque, Romanorum ducibus, expetere. Verum quid non auri sacra fames compellit acquiescere? Coeperunt duces avaritia compellente non solum ovium boumque carnes, verum etiam canum et immundorum animalium morticina eis pro magno contradere, adeo, ut quodlibet mancipium in unum panem aut decem libras in unam carnem mercarentur. Sed iam mancipiis et supellectili

---

l. 8. recurrit eadem vox et apud nostrum c. 31. quanquam illic quoque Rhenanus mutavit.

Cap. XXVI. *Quibus evenit*) Ita Pall. cum omnibus edd. quae Vulcanii antecedunt: is primus *Evenit his* in sua dedit, unde in insequentes propagata est haec lectio. — *gentibus—fundatis*) Ambr. *egenti* pro *genti*, quod praeferunt Exc. ut et *fundatae* pro *fundatis*. — *coeperuntque*) Sic pro vulg. *coeperunt autem* Pall. cum Exc. — *Fritigernus*) Sic Ambr. infra semper (nam hic *Fritifernis* praefert) et ed. Grut. pro vulg. *Fridigernus*. Consentiunt in lectione recepta Ammianus L. XXXI multis locis, Zosimus IV, 34, 2. Philostorgius IX, 17. Socrates IV, 33. et Sozomenus VI, 37. Neque tamen lectio *Fridigernus* plane damnanda, quum et Isidorus ad Aer. 415. ita nomen exprimat et Agathias, apud quem *Τεΐας ὁ Φριδέρνου* in praefatione et *Ἀλίγερνος ὁ Φριδιγέρνου* I, 20. legitur. — *Safrach*) Exc. *Saphrach*, Epit. *Safrat*: Ammiano *Saphrax* est idem l. l. item Zosimo *Σάφραξ*. — *inopiam*) Rod. cum Exc. *inopiae*. — *acquiescere*) Suspecta mihi est haec vox vel ob structurae insolentiam; an fuit *adsciscere*? — *animalium morticina*) Vox *animalium* in ed. Grut. non comparet, omissa, ut videtur, operarum vitio. — *pro magno*) Ita habent exemplaria omnia. Malim tamen legere *pretio magno*. VULCAN. Nihil mutandum, sana est lectio vulg. — *ut quodlibet—mercarentur*) Haec est lectio vulg. quam hic quidem retinere est visum, non quod pro ipsius Iordanis manu habeam eam, sed quod ceteris potiorem. Nam Pall. repraesentant *in uno pane aut decem libris carne mercarent* (quam lectionem recepit Gruterus nisi quod *mercarentur* dedit), Ambr. *uno pane*

deficientibus filios eorum avarus mercator victus necessitate exposcit. Haud enim secus parentes faciunt, saluti suorum pignorum providentes: satius deliberant ingenuitatem perire quam vitam, dum misericorditer alendus quis venditur, quam moriturus servatur. Contigit enim illo sub tempore aerumnoso, Lupicinus ut ductor Romanorum Fritigernum, Gothorum regulum, ad convivium invitaret, dolumque ei, ut post exitus docuit, moliretur. Sed Fritigernus doli nescius, cum paucorum comitatu ad convivium veniens, dum intus in praetorio epularetur, clamorem miserorum morientium audit. Nam alia in parte socios eius reclusos dum milites du-

---

aut decem libras carnis mercarentur, Rod. *pro uno pane aut decem libris carnium mercaretur*, Exc. *in uno pane aut decem librarum carne mercarentur.* Corruptum esse locum in omnibus apparet: quid si legas Ambrosianum maxime secutus *ut quodlibet mancipium uno pane aut decem libras una carnis mercarentur?* — *victus necessitate*) Si sana est lectio, *victus* genitivus est substantivi, non participium, isque inest verbis sensus, quod victus eis esset necessarius, dura certe insolitaque structura. Sed enim vereor, ne corrupta sit lectio, coalitis in unam duabus vocibus legendumque iudico disiunctim *victus ne cessaret* vel *cessitaret*, quod posterius verbum etsi legere non memini, eodem tamen modo formatum est, quo intensive ab eo, quod est *curso*, fit *cursito*, quod *canto*, *cantito*, quod *dicto*, *dictito* aliaque id genus. Ceterum Mg. Par. pro *victus necessitate* repraesentat *victor famis*, quae lectio a correctore aliquo videtur profecta. — *saluti*) Sic Pall. Ambr. Rod.; v. *salutem*, quod sistunt etiam Exc. — *satius*) Exc. *facilius*, Ambr. cum Mg. Par. *faciliusque*; fortasse *satiusque.* — *misericorditer*) Ambr. *misericordiis.* — *quis venditur*) Ed. Grut. *qui venditur*, Exc. *quis venditus.* — *Lupicinus ut ductor Romanorum Fritigernum— invitaret*) Sic Pall. Exc. ed. Par. pessime vulgo *Lupicino et ductori Romanorum ut Fridigernum — invitaret*: quam rectinens lectionem Vulcanius vel superesse copulam vel *Lupicino et Maximo ductoribus* legendum esse putavit: copulam in sua delevit Lindenbrogius. — *epularetur*) Ita pro vulg. *epulatus est* Pall. sed Exc. cum ed. Par. *epulatur*, quod recepit Lindenbrogius. — *audit*) Sic Pall. sed Exc. *audivit*; v. *audiret.* — *miserorum*) An *suorum?* — *Nam alia in parte*)

cis sui iussu trucidare conarentur. et vox morientium duriter emissa iam suspectis auribus intonaret, illico apertum dolum cognoscens Fritigernus, evaginato gladio e convivio non sine magna temeritate velocitateque egreditur, suosque socios ab imminenti morte ereptos ad necem Romanorum instigat. Qui nacti occasionem votivam elegerunt viri fortissimi in bello magis quam in fame deficere, et illico in ducum Lupicini et Maximi armantur occisionem. Illa namque dies Gothorum famem Romanorumque securitatem ademit, coeperuntque Gothi iam non ut advenae et peregrini, sed ut cives et domini possessoribus imperare, totasque partes septentrionales usque ad Danubium suo iure tenere. Quod comperiens in Antiochia Valens imperator. mox armato exercitu in Thraciarum partes egreditur; ubi lacrimabili bello commisso, vincentibus Gothis, in quodam praedio iuxta Hadrianopolim saucius ipse refugiens, ignoranti-

---

Sic Pall. cum Ambr. eodemque sensu ed. pr. *namque*, pro qua proba lectione Rhenanus dedit *iamque*, quod adhuc edd. obsidet praeter Leunclavii, qui et ipse *namque* in sua exhibet. — *reclusos*) Ambr. *inclusos*, optime primo quidem adspectu; neque tamen non retinenda vulgata, quum vox *inclusos* correctorem redoleat: *recludere* enim verbo, quanquam idem plerumque valet, quod aperire, Latinitate tamen labente et lapsa includendi vel occludendi inest significatio; sic ipse noster c. 31. *Hispania se recludere*, c. 40. *intra septa castrorum se recludere:* eadem significatio est verbo apud Iustinum I, 9, 16. XXVI, 1, 7. Minucium Fel. c. 25, 13. Ammianum XVI. 10, 1. XXII, 12, 8. — *apertum dolum cognoscens*) Ita Pall. sed Ambr. *aperte dolum cognoscens*; v. *apertos ipsos dolos cognoscens.* — *e convivio*) Sic Pall. Ambr. Exc. Epit. sed ed. Grut. absque praepositione *convivio*; v. *in convivio.* — *nacti occasionem votivam*) Ita unus Pal. (nam alter *nacti occasione votiva*), Ambr. ed. Par. Rod. *nacta occasione votiva* vulgo. — *suo iure*) Rod. *sub iure*, Exc. *sub suo iure.* — *egreditur*) Sic pro vulg. *digreditur* Pall. cum Rod. sed Ambr. *regreditur.* — *in quodam praedio*) Ambr. *in quoddam praedium*, quod correctoris potius est quam Iordanis, cui *in* praepositionem ita struere solenne, ut annotatum supra ad c. 20. — *refugiens*) Ed. Grut. *fugiens.*

bus quoque, quod imperator in tam vili casula delitesceret, Gothis, igneque, ut assolet saeviente inimico, supposito, cum regali pompa crematus est, haud secus quam dei prorsus iudicio, ut ab ipsis igne combureretur, quos ipse veram fidem petentes in perfidiam declinasset, et ignem caritatis ad gehennae ignem detorsisset. Quo tempore Vesegothae Thracias Daciamque ripensem post tanti gloriam tropaei, tamquam solo genitali potiti, coeperunt incolere.

XXVII. Sed Theodosio ab Hispania a Gratiano imperatore electo et in orientali principatu loco Valentis patrui subrogato, militarique disciplina mox in meliori statu reposita, ignaviam priorum principum et desidiam exclusam Gothus ut sensit, pertimuit. Nam imperator acri omnino ingenio virtuteque et consilio clarus, praeceptorum severitate et liberalitate blanditieque sua remissum exercitum ad fortia provocavit. At vero ubi milites principe meliore mutato fiduciam acceperunt, Go-

— *ignorantibus quoque, quod)* Rod. cum Exc. *ignorantibusque*; ed. Lindenb. *ignorantibus quod.* — *igneque, ut assolet saeviente inimico, supposito)* Sic praeeuntibus Pall. et ed. pr. legendum, non *ab inimico* addita praepositione, quae primum in ed. Leuncl. visitur. Iuvi insuper locum distinctione mutata; nam vulgo ita legitur distinctum *igneque (ut assolet) saeviente ab inimico supposito.* — *Vesegothae)* Mg. Par. *Wissigothae.* — *tropaei)* Ambr. *triumphi.* Perinde est, utrumlibet legas: nam utraque voce plus semel pro victoria utitur Iordanis. Permutata autem alias quoque inveniri haec vocabula docebit Burmannus ad Claudian. III. Cons. Honorii v. 146.

Cap. XXVII. *Theodosio — a Gratiano electo et — subrogato)* Sic optime Ambr. cum ed. Par. necnon Pall. nisi quod hi *Gratianus imperator* sistunt, quod structurae repugnat; v. *Theodosium ab Hispania Gratianus imperator electum in orientali principatu loco Valentis patrui subrogat.* — *praeceptorum severitate — provocavit)* Ita emendatior Pal. sed ed. pr. *cum praeceptorum severitate — provocarat*, quae lectio et ipsa non respuenda, modo *cum* vocabulum pro praepositione, non pro coniunctione capias, quod fecit Leunclavius, *provocarat* in *provocaret* mutans, quod omnes paene edd. insequentes obsedit. — *mutato)*

thos impetere tentant, eosque Thraciae finibus pellunt. Sed Theodosio principe paene tunc usque ad desperationem aegrotante datur iterum Gothis audacia, divisoque exercitu Fritigernus ad Thessaliam praedandam, Epiros et Achaiam digressus est, Alatheus vero et Safrach cum residuis copiis Pannoniam petierunt. Quod quum Gratianus imperator, qui tunc Roma in Gallias ob incursionem Vandalorum recesserat, comperisset, quia Theodosio fatali desperatione succumbenti Gothi magis saevirent, mox ad eos collecto venit exercitu, nec tamen fretus in armis, sed gratia eos muneribusque victurus, pacem, victualia illis concedens, cum ipsis inito foedere fecit.

Haec lectio suspecta est mihi; Mg. Par. *renovato* sistit, quae lectio et ipsa quanquam non est proba, potest tamen ad veram ducere eruendam. Videtur autem ea esse *renunciato:* cui coniecturae favet lectio Roderici *principe meliore comperto*, verbo, ut solet, verbo substituto: sive invenit ille in libro suo *nunciato*, hausta prima verbi *renunciato* syllaba a postrema vocabuli praecedentis sive perperam cepit dictionem *principem renunciare*. — *Epiros*) Ambr. *Epiron*, Epit. *Epirum*, sed vulgata recte habet. Namque in duos divisa erat illa aetate Epirus partes, veterem et novam; qua de re videsis Scriv. et Schwebel. ad Veget. R. M. V, 1. et Böcking. ad Notit. Orient. Imp. p. 152. — *ob incursionem Vandalorum*) Erratum videtur in hoc nomine aut ab Iordane ipso aut a librariis. Alemanni enim invadebant illo tempore Gallias, non Vandali, qui, ut ex c. 22. apparet, in Pannonia tunc agebant. Auctores sunt Socrates IV, 6. *Γρατιανὸς εὐθὺς* (post Theodosium electum) *ἐπὶ τὰς Γαλλίας ἐχώρει Ἀλαμαννῶν κατεχόντων τὴν ἐκεῖ χώραν*, Sozomenusque VII, 2. qui narrat, Gratianum imperii consortem fecisse Theodosium reputantem, barbaris quidem circa Istrum in Illyrico Thraciaque resistendum esse, *ἀναγκαῖον δὲ καὶ τοῖς πρός ἑσπέραν ἀρχομένοις παρεῖναι` καὶ μάλιστα Ἀλαμαννῶν τὰς ἐνθάδε Γαλάτας κακουργούντων*. Cf. eadem de re eundem libri l. c. 4. — *recesserat*) Ambr. Rod. Exc. Epit. *secesserat*, quod non probo. Nam quum in Galliis plerumque sedem haberet Gratianus, de eo Roma in Gallies regresso *recedere* verbum aptius usurpatur quam *secedere*. — *pacem, victualia—fecit*) Sic Pall. nisi quod *pacemque* praeferunt, sed v. *pacemque et victualia illis concedens:* quam si

XXVIII. Ubi vero post haec Theodosius convaluit imperator, reperitque Gratianum cum Gothis et Romanis pepigisse foedus, quod ipse optaverat, admodum grato animo ferens, et ipse in hac pace consensit, (XXVIII.) Athanaricumque regem, qui tunc Fritigerno successerat, datis sibi muneribus sociavit moribusque suis benignissimis ad se eum in Constantinopolim accedere invitavit. Qui omnino libenter acquiescens, regiam urbem ingressus est, miransque: En, inquit, cerno, quod saepe incredulus audiebam, famam videlicet tantae urbis; et huc

---

retineas lectionem, nulla vox erit, ad quam *fecit* referas. Quod quum videret qui cod. Ambr. exaravit, post *fecit* verbum *amicos* addidit. — *inito foedere*) Mg. Par. *inita foedera*, e Mg. Leunclav. ut videtur.

Cap. XXVIII. *Ubi vero — invitavit*) Haec omnia arctissime inter se cohaerent, ut una enunciatione repraesentari debeant minimeque a verbis *Athanaricumque regem* novum caput exordiri liceat, disiunctis, quae cohaerent inter se; quod fecit Vulcanius. Caput igitur novum a verbis *Ubi vero* inchoandum duxi. — *Romanis*) Haec lectio mihi valde est suspecta. Etenim qui cum Romanis pepigerit foedus Gratianus ipse Romanus? Latetne fortasse in illa voce *Alanorum* nomen, qui quidem cum Gothis inter hostes Romanorum referuntur illo tempore ab Orosio VII, 34. et Marcellino Fastisque Idat. ad a. 379. an *Germanorum*, ut supra quoque c. 3. extr. *Germanorum* et *Romanorum* permutatum reperitur nomen? Germani autem illi intelligendi sunt Alemanni: an legendum *in Romania?* Nam ut persuadeam mihi voluisse dicere Iordanem, inter Gothos et Romanos pepigisse foedus Gratianum, incommode vero rem expressisse, non is sum qui induci possim. — *foedus*) Haec vox non visitur in Pall. unde expungendam eam censet Gruterus. — *in hac pace consensit*) Ita Ambr. et ed. pr. cum Rod. nisi quod hic *in hanc pacem*; quod vulgo legitur *consistit*, a Leunclavio est. — *Athanaricumque*) Sic Pall. cum Rod. sed ed. pr. *Attanaricum quoque*, ed. Par. *Atanaricum quoque;* v. *Athanaricum quoque.* — *moribusque suis benignissimis — invitavit*) Sic Pall. sed pro *benignissimis*, quod primus dedit Rhenanus, ed. pr. *benignissimus* sistit, et pro *invitavit* in Ambr. *iussit* legitur; v. *sociavit moribus suis benignissimis et ad se eum — invitavit.* — *cerno — famam videlicet tantae urbis*) His verbis semper sum offensus: *fama* enim qui potest cerni?

illuc oculos volvens, nunc situm urbis commeatumque navium, nunc moenia clara prospectans miratur, populosque diversarum gentium quasi fonte in uno e diversis partibus scaturiente unda, sic quoque militem ordinatum aspiciens: Deus, inquit, sine dubio terrenus est imperator, et quisquis adversus eum manum moverit, ipse sui sanguinis reus exsistit. In tali ergo admiratione maiore a principe honore suffultus, paucis mensibus interiectis ab hac luce migravit. Quem princeps affectionis gratia paene plus mortuum quam vivum honorans, dignae tradidit sepulturae, ipse quoque in exsequiis feretro eius praeiens. Defuncto ergo Athanarico cunctus eius exercitus in servitio Theodosii imperatoris perdurans, Romano se imperio subdens, cum milite velut unum corpus efficit, militiaque illa dudum sub Constantino principe Foederatorum renovata, et ipsi dicti sunt Foederati. E quibus imperator contra Eugenium tyrannum, qui occiso Gratiano Gallias occupasset, plus quam viginti millia armatorum fideles sibi et amicos intelligens

---

Insuper illa *famam videlicet tantae urbis* apud eos, qui scrinia nostri compilarunt, auctores Historiae M. Excerptorum, Rodericum dico, non comparent: qua re quanquam non probatur, illa a Iordane non esse profecta, id tamen inde potest colligi, vel corruptum in locum incidisse illos vel pro corruptis certe habuisse verba ista, ideoque more suo omisisse. Iam vero pro *famam* legerim *fama*, ut pertineat haec vox ad *audiebam* verbum, aut *famae*, ut referatur ad *incredulus* et genitivi *tantae urbis* quum substantivo, ex quo pendeant, careant, vocabulum *magnitudinem* vel *magnificentiam* (quod sistunt Exc.) vel aliud quid tale supplendum existimo. Potuit autem id etiam fieri, ut vox *videlicet* e duabus coaluerit: quod si accidit, legendum fortasse, *video delicias tantae urbis*. — *quisquis*) Ed. Grut. *quisque*, quod idem valet nonnunquam quod *quisquis* vel *quicunque*. — *maiore*) Ita ed. Grut. cum Exc. v. *maioreque*. — *cunctus eius exercitus*) Sic Pall. Exc. Epit. *cunctus exercitus* vulgo. — *effecit*) Ita pro vulg. *efficit* Pall. sed Ambr. cum Exc. *efficitur*. — *militiaque*) Sic pro *milliaque* Pall. Ambr. Mg. Par. Exc. ed. Lindenbr.

secum duxit, victoriaque de praedicto tyranno potitus, ultionem exegit.

XXIX. Postquam vero Theodosius, amator pacis generisque Gothorum, rebus excessit humanis, coeperunt eius filii utramque rempublicam luxuriose viventes annihilare, auxiliariisque suis, id est Gothis, consueta dona subtrahere. Mox Gothis fastidium eorum increvit, verentesque, ne longa pace eorum se solveret fortitudo, ordinant super se regem Alaricum, cui erat post Amalos secunda nobilitas Balthorumque ex genere origo mirifica, qui dudum ob audaciam virtutis Balth, id est audax, nomen inter suos acceperat. Mox ut ergo ante-

---

Cap. XXIX. *generisque Gothorum*) Ambr. cum Mg. Par. et Rod. *gentisque*, quod correctorem olet. — *se solveret*) Ita pro *resolveretur* Pall. cum Exc. — *Balthorumque*) Sic Pall. Ambr. (sed hic. *t* sine adspiratione) ed. Par. Exc. Bonf. confirmatur haec lectio c. 5. ubi *Balthorum* sine lectionis discrepantia legitur; v. *Baltharumque.* — *Balth*) Sic unus Pal. *Baltha* vulgo. — *cui erat—acceperat*) Haec verba corruptane sint an integra, quaeritur. Ludenius quidem T. II. L. V. c. 6. not. 7. p. 569. ita explicare tentat locum, de integritate scilicet securus: *Die Worte sind freilich sonderbar gestellt, Iornandes aber will offenbar sagen: Alarich habe das Geschlecht der Balthen gegründet. Denn* Er *hatte die* secunda nobilitas post Amalos *und nicht seine Vorfahren; er* (qui) *hatte den Namen Baltha empfangen* ob audaciam virtutis *und Niemand vor ihm. Der Genitiv Baltharum muss daher von origo abhängig gemacht werden und nicht von genere, und nun ist begreiflich, warum Iornandes nur die Genealogie der Amaler angibt: die Balthen hatten keine.* At hanc loci interpretationem quis probarit? verba *ex genere* quo pertinent? quis unquam latine scribens sententiam „ex illo est origo Balthorum" ita expressit ut diceret, illi est origo Balthorum? Aliter vero ac Ludenius de hoc nostri loco sentit Löbellius in: *Gregor von Tours* p. 523. not. 42. ita disputans: *Das Verworrene und Dunkle, woran die angeführten Worte leiden, wird gehoben, wenn man* quod *statt* qui *und die Kühnheit, von welcher der Beiname hergenommen ist, auf das ganze Geschlecht bezieht, in welchem sie hergebracht war und gleichsam als forterbend angesehen wurde. Will man dieser leichten Emendation nicht beitreten, so muss man, wie Asch-*

fatus Alaricus creatus est rex, cum suis deliberans suasit eos suo labore quaerere regna, quam alienis per otium subiacere, et sumpto exercitu per Pannonias Stilicone et Aureliano consulibus et per Sirmium dextro latere quasi viris vacuam intravit Italiam, nulloque penitus obsistente ad pontem applicuit Candidiani, qui tertio milliario ab urbe aberat regia Ravennate. Quae urbs inter paludes et pelagus interque Padi fluenta uni tan-

---

bach S. 66. *die Construction als verschränkt betrachten und* qui *auf Alarich beziehen. Immer würde auch dann daraus, dass Alarich dem Geschlecht den Namen gegeben, noch nicht folgen, dass er es gegründet, welchen Sinn* Luden B. II, S. 569. *den Ausdrücken des Schriftstellers gibt. Vielmehr liegt in den Worten, „welchem der zweite Adel nach den Amalern zukam", die entschiedenste Hinweisung auf eine zur Zeit seiner Wahl anerkannte Stellung und Iorn. hätte sich nicht verkehrter und irreführender ausdrücken können, wenn er dabei an den von Alarich selbst erworbenen Ruhm gedacht hätte.* Levius tamen quam Löbellius, si modo id exprimere voluit Iordanis, Balthos accepisse nomen ob audaciam virtutis, non Alaricum, emendaris locum, si pro *acceperat* legeris *acceperant*, virgula supra *a* neglecta a librariis. Aliud vero loci remedium afferunt Exc. dum plenius sistunt, *quorum primus dudum — acceperat:* quam lectionem, quum commodissimum praebeat sensum, nisi solorum Exc. niteretur auctoritate, in orationis seriem inducere nullus dubitassem. — *Mox ut ergo*) Coniunctio *ut*, quam ignorant primae edd. bene est (vid. supra ad c. 24) a Leunclavio inserta. — *suasit eos — quaerere*) Vocem *eos*, quae vulgo deest, praeferunt Pall. cum Ambr. Exc. *eis* sistunt. — *quam alienis — subiacere*) Multo aliter Exc. *quam alieno exercitui per odia subiacere.* — *per Sirmium*) Ita Pall. Ambr. Mg. edd. Leunclav. et Par. necnon Epit. et Bonf. pro vulg. *Firmium*, in quod illud nomen aliquoties est corruptum, ut docet Chiffletius in Vigilii Taps. vindiciis p. 37. — *intravit Italiam — nulloque penitus* cet.) Sic Pall. cum Exc. sed vulgo *intravit Italiam. Nullo penitus* cet. — *applicuit*) Ambr. *applicavit.* — *ad pontem — Candidiani*) Sic Pall. Ambr. Exc. vulgatam *Condiniani* esse corruptam, suboluerat iam Cluverio I. A. p. 306., sed quia fluvius hodieque apud Classem *Candiano* vocaretur, *ad Candiani pontem* coniecit legendum. — *aberat*) Sic Pall. cum Ambr. et ed. Par. *erat* vulgo.

tum patet accessui, cuius dudum, ut tradunt maiores, possessores Ἀινετοί, id est laudabiles, dicebantur. Haec in sinu regni Romani super mare Ionium constituta, in modum insulae influentium aquarum redundatione concluditur. Habet ab oriente mare, ad quod qui recto cursu de Corcyra atque Helladae partibus navigat dextrum latus, primum Epiros, dein Dalmatiam, Liburniam Histriamque, et sic Venetias radens palmula navigat. Ab occidente vero habet paludes, per quas uno angustissimo introitu ut porta relicta est. A septentrionali quo-

— *uni—patet—accessui*) Ambr. cum Epit. *uno—accessu.* — Ἀινετοί) Sic legendum esse, coniecit iam Leunclavius, cuius coniecturam confirmant Pall. dum *Ενετυ* praeferunt, scriptura e Graecorum recentiorum pronunciatione orta. Vulgata *Eneti* a Rhenano fluxit: nam ed. pr. *Venetii* exhibet et in Mg. *Enetii.* — *in modum insulae*) Vocem *insulae* revocavi ex edd. pr. sistunt eam Pall. quoque et Ambr. primum excidit in ed. Leunclav. operarum socordia indeque in nulla insequentium Grut. excepta comparuit. Desiderari tamen eam bene viderunt iam Vulcanius ad h. l. et Cluverius l. l. p. 304. — *de — Helladae partibus*) Edd. Vulcaniana antiquiores quotquot inspicere licuit, *Helladae* sive *Elladae* repraesentant, Epit. *Hellade* posito *e* simplici pro *e* caudato sive diphthongo.. Neque reducere dubitavi hanc lectionem pro vulg. *Helladis*, quae primum a Vulcanio e Mg. Leunclav. vel Par. in suam est illata indeque in alias omnes praeter Gruter. propagata. Secutus autem est in hoc nomine, ut et in aliis graecae originis (vid. supra ad c. 5.), Iordanis morem seculi sui, quo ex accusativo graeco nominativum facerent eumque per primam flecterent. Cuius rei in argumentum ut alia nomina vocesque afferre supersedeam, aliquos tantum indicabo locos, ubi *Hellada* variis casibus flexa reperitur idque apud auctores, qui eadem fere cum nostro aetate floruerunt: sic apud Victor. Vit. L. I. p. 16. *in Epiro vel Hellada* legitur; in Histor. Trip. VII, 2. *ut videret Helladam*; ibid. VI, 1. *discurrens universam Helladam;* ibid. VII, 3. *in universa Hellada.* — *dextrum latus*) Ambr. *dextro latere.* — *Epiros*) Sic Ambr. cum Epit. necnon ed. pr. vitiose quanquam *Ephyros:* vulg. *Epirum* a Rhenano est, minime tamen in numero huius nominis esse mutandum aliquid, monui supra ad c. 27. — *uno—introitu—relicta est*) Clu-

que plaga ramus illi ex Pado est, qui Fossa vocatur Asconis. A meridie idem ipse Padus, quem Italiae soli fluviorum regem dicunt, cognomento Eridanus, ab Augusto imperatore altissima fossa demissus, qui septima sui alvei parte mediam influit civitatem, ad ostia sua amœnissimum portum praebens, classem ducentarum quinquaginta navium Dione referente tutissima dudum credebatur recipere statione. Qui nunc, ut Fabius ait, quod aliquando portus fuerat, spatiosissimos hortos ostendit, arboribus plenos, verum de quibus non pendeant vela, sed poma. Trino siquidem urbs ipsa vocabulo gloriatur, trigeminaque positione exsultat, id est, prima Ravenna, ultima Classis, media Caesarea inter urbem et mare, plena mollitie, arenaque munita, vectationibus apta.

---

verius l. l. proponit legendum, *unus angustissimus introitus — relictus est.* — *vocatur*) Ed. Grut. *vocitatur.* — *quem Italiae soli — regem*) Sic Pall. cum Ambr. *quem solum — regem* vulgo. — *altissima fossa demissus*) Haec est lectio vulgata, quam praeferendam duxi lectioni Pall. Ambr. Mg. Par. *latissima*, quum de *alta* fossa *demittere* aptius dicas quam de *lata*. Commutari ceterum saepissime inter se vocabula *altus* et *latus* a librariis, docebit Drakenborchius ad Liv. V, 37, 7. — *qui — ad ostia sua*) Melius procedet oratio, si coniecturam Cluverii admittamus, qui pronomen relativum ante vocem *septima* positum loco pellendum atque ante illa *ad ostia sua* collocandum esse censet. — *classem ducentarum quinquaginta navium*) Epit. CC. *navium classem.* — *quod aliquando — arboribus plenos*) Pall. *portus fuerit, spatiosissimus hortus ostendit, arboribus plenus:* quam lectionem vulgata emaculatiorem existimat Gruterus. Valde tamen dubitandum, num hanc voluerit exprimere Iordanis sententiam, quanquam nec vulgata satisfacit. Optime fortasse *qua* pro *quod* legerimus cum Cluverio. — *Caesarea*) Mg. Par. *Cessuria.* — *plena mollitie*) Pall. *mollitiae*, Ambr. *plana mollicies*, unde *plana mollitie* legerim, quod iam Vulcanius Cluveriusque proposuerunt legendum. — *munita*) Ita primum quod sciam habet ed. Par. unde in reliquas edd. propagata est haec lectio. Pall. cum edd. pr. *minuta* praeferunt.

XXX. Verum enimvero, quum in eius vicinitatem Vesegotharum applicuisset exercitus, et ad Honorium imperatorem, qui intus residebat, legationem misisset, quatenus si permitteret, ut Gothi pacati in Italia residerent, sic eos cum Romanorum populo vivere, ut una gens utraque credi posset, sin autem aliter, bellando quis quem valeret expelleret, et iam securus qui victor exsisteret imperaret, Honorius imperator utramque pollicitationem formidans, suoque cum senatu inito consilio, quomodo eos extra fines Italos expelleret, deliberabat. Cui ad postremum sententia sedit, quatenus provincias longe positas, id est Gallias Hispaniasque, quas iam paene perdidisset, Gizerichique eas Vandalorum regis vastaret irruptio, si valeret, Alaricus sua cum gente sibi tanquam lares proprios vindicaret, donatione sacro oraculo confirmata. Consentiunt Gothi hac ordinatione, et ad traditam sibi patriam proficiscuntur. Post quorum discessum nec quicquam mali in Italia perpetrato Stilico, patricius et socer Honorii imperatoris, — nam utramque eius filiam, id est Mariam et Thermantiam, quam sibi princeps unam post unam sociavit, utramque virginem et intactam deus ab hac luce vocavit — hic ergo Stilico

Cap. XXX. *Verum enimvero*) Ed. Par. *Enimvero.* — *in eius vicinitatem*) Ita Ambr. cum Exc. *in eius vicinitate* Mg. Par. *in ea civitate* vulgo. — *misisset*) Ambr. *mittunt.* *credi posset*) Sic pro vulg. *possit* edd. Par. et Garet. — *quis quem valeret*) Edd. Par. et Garet. *valebat.* — *et iam securus*) Ita Pall. cum Ambr. vulgo iunctim *etiam*, ad quam vocem iam Vulcanius monuit, sententiam, ut *et iam* legamus, requirere. — *pollicitationem*) Haec vox mihi videtur corrupta: non enim pollicitus est quidquam Alaricus, sed postulavit vel etiam sollicitavit, unde *postulationem* vel *sollicitationem* legerim. — *Gizerichique*) Sic Pall. cum ed. Par. nisi quod haec c pro *ch*; *et Gizerichi* vulgo. — *eas*) Hanc vocem uncinis inclusit Leunclavius. — *hac ordinatione*) Ambr. *huic ordinationi.* — *perpetrato*) Sic Pall. cum Rod. *perpetratum* vulgo. — *Stilicho — vocavit*) Hic in Ambr. MS. locus est mancus legiturque tantum: *Istildeo*

ad Polentiam civitatem in Alpibus Cottiis locatam dolose accedens, nihilque mali suspicantibus Gothis ad necem totius Italiae suamque deformitatem ruit in bellum. Quem ex improviso Gothi cernentes, primo perterriti sunt, sed mox recollectis animis, et, ut solebant, hortatibus excitati, omnem paene exercitum Stiliconis in fugam conversum usque ad internecionem deiiciunt, furibundoque animo arreptum iter deserunt, et in Liguriam post se, unde iam transierant, revertuntur; eiusque praedis spoliisque potiti, Aemiliam pari tenore devastant, Flaminiaeque aggerem inter Picenum et Tus-

---

patricius et socer Honorii Imperatoris, nam utramque virginem et intactam Deus ab hac luce vocavit. — *et Thermantiam)* Sic ed. Grut. cum Mg. edd. Leuncl. et Par. sed Pall. cum Epit. *et Hermantiam*, *t* posteriori a priori hausto: vulg. *et Ermantiam*; sed *Thermantiam*, quod iam Leunclavius coniecit, esse legendum, apparet ex multis variisque Olympiodori, Claudiani, Zosimi aliorumque locis, quin ex ipso nostro R. S. c. 95. — *quas sibi*) Vox *quas* in ed. Leuncl. uncinis est inclusa. — *vocavit*) Sic Pall. cum Ambr. sed Epit. *evocavit*; vulg. *migrare praecepit.* — *Stilico*) Ambr. semper *Istilico.* — *ad Polentiam*) Per *l* geminatum efferendum hoc nomen, si consulimus quicunque huius urbis meminerunt, ut Plin. H. N. VIII, 73. XXXV, 46. Martial. XIV, 157. Columell. VII, 2. Oros. VII, 37. ut alios omittam, atque etymologiam ipsam: quemadmodum enim a verbo *valere Valentia*, sic a *pollere Pollentia.* — *in Alpibus Cottiis*) Sic edd. Par. et Grut. nisi quod illa per unum t: ed. pr. *Cocciarum* exhibet, quod in *Cocciis* mutavit Rhenanus, quomodo in omnibus paene legitur edd. in Epit. *Coëtiaram* sistitur. An fuit fortasse primitus *in Alpibus Cottianis*, quomodo vocatur montium illud iugum a Tacit. Hist. I, 61. IV, 68? — *hortatibus excitati*) Ed. Par. cum Epit. *hortationibus exc.* ed. Garet. *hortationibus excitatis.* — *post se*) Haec verba quid sibi velint, non video: an latet fortasse in iis urbis regionisve alicuius nomen? — *eiusque praedis — potiti*) Ambr. *eamque praedis—potiti.* — *Aemiliam*) Sic optime Rod. ed. Par. et Ambr. addita tamen hic ante nomen *et* copula; ed. pr. *Emiliam*; vulg. *Aemyliam.* — *Tusciam*) Sic nomen huius regionis in ed. pr. semper est expressum: at male ubique aspiratam dedit *t* literam Rhenanus, sequentibus, qui post eum

ciam usque ad urbem Romam discurrentes, quicquid in utrumque latus fuit, in praedam diripiunt; ad postremum Romam ingressi, Alarico iubente spoliant tantum, non autem, ut solent gentes, ignem supponunt, nec locis sanctorum in aliquo penitus iniuriam irrogari patiuntur. Exindeque egressi, per Campaniam et Lucaniam simili clade peracta Brutios accesserunt; ubi diu residentes, ad Siciliam et inde ad Africae terras transire deliberant. Brutiorum siquidem regio in extremis Italiae finibus australi interiacens parti, — angulus eius Apennini montis initium facit, — Hadriaeque pelagus velut lingua porrecta a Tyrrheno aestu seiungens, nomen quondam a Brutia sortitur regina. Ibi ergo veniens Alaricus, rex Vesegotharum, cum opibus totius Italiae, quas in praeda diripuerat, exinde, ut dictum est, per Siciliam in Africam quietam patriam transire disponit. Cuius, quia non est liberum, quodcunque homo sine nutu dei disposuerit, fretum illud horribile aliquantas naves submersit, plurimas conturbavit. Qua adversitate repulsus Alaricus, dum secum, quid ageret, deliberaret, subito immatura

---

ediderunt Iordanem. — *in utrumque latus*) Sic pro *inter utr. l.* Pall. — *Brutios accesserunt*) Ambr. cum ed. pr. *Bricios* semper, sed *Brutios*, quod Epit. praefert, esse legendum, coniecit iam Peutingerus; recepit eam coniecturam Rhenanus, ex cuius ed. in ceteras fluxit. *Brutiine* autem scribendum sit an *Bruttii*, controversia est inter viros doctos, Cluverio I. A. L. IV. c. 15. p. 1283. et Tzschukio ad Mel. II, 4, 1. hanc scripturam tuentibus, contra Drakenborchio ad Sil. It. VI, 15. illam vindicante. — *et inde ad Africae terras transire deliberant*) Sic Pall. sed ed. Par. *in Africae terras*; v. *exinde ad Africam transire deliberant*. — *in — finibus australi interiacens parti, angulus — facit*) Ita Pall. cum edd. Par. et Garet. sed vulgo aliter et legitur et distinguitur, *in — finibus interiacens, parte angulorum — facit*. — *facit*) Sic pro *fecit* primum in ed. Par. legitur, astipulantibus Pall. — *velut lingua*) Sic pro vulg. *ut* Pall. — *a Brutia*) Ambr. *a Bricia*, ed. pr. *a Britia*; vulgata *a Brutia* a Rhenano est.

morte praeventus, rebus excessit humanis. Quem nimia sui dilectione lugentes, Basento amne iuxta Consentinam civitatem de alveo suo derivato — nam hic fluvius a pede montis iuxta urbem dilapsus fluit unda salutifera — huius ergo in medio alveo collecto captivorum agmine sepulturae locum effodiunt, in cuius foveae gremio Alaricum cum multis opibus obruunt, rursusque aquas in suum alveum reducentes, ne a quoquam quandoque locus cognosceretur, fossores omnes interemerunt, regnumque Vesegotharum Ataulfo, eius consanguineo, et forma et

---

nimia sui dil. lugentes) Vocem *sui* addunt Pall. Ambr. Exc. Rod. — *Basento—derivato*) Hanc verborum structuram sistunt Pall. Ambr. Rod. Bonf. *derivato* exhibet etiam Mg. Par. sed ed. pr. *Barentinum—derivantur*, quod praeeunte Peutingero in *derivant* mutavit Rhenanus, ex cuius ed. propagata est haec lectio in insequentes omnes praeter Grut. Ad nomen autem fluminis quod attinet, aliter in aliis est scriptum: quippe *Basentus* dicitur in Pall. et Ambr. necnon apud Blond. et Bonf. *Busentus* in Mg. edd. Leuncl. et Par. (sed, ut suspicari licet, magis ex illius coniectura, quam e libris), *Barsentum* vero nominat fluvium Rod. *Basentium* Histor. M. *Barentum* Otto Frising. *Vasentem* Exc. *Borentum* denique Epit. qua in tanta lectionis discrepantia verissime fortasse dicetur flumen illud *Busentus*, quoniam proxime accedit ad hodiernum fluvii nomen *Busento* seu *Busiento*. — *iuxta Consentinam civitatem*) Rod. et Epit. *iuxta Consentiam civitatem*, Exc. *iuxta Consentiam;* vulgatam tamen duxi retinendam, quum ita loqui solenne sit nostro: sic supra c. 10. *Odyssitana civitas*, c. 20. *Anchialitana civitas;* quibus exemplis add. quae leguntur infra cpp. 34. 37. 45. 52. 56. 58. 60. — *interemerunt regnumque—tradunt*) Sic non interrupto verborum ordine legendum, iubentibus et edd. antiquis et Pall. Vulcanius tamen, ut novum hic inchoaret caput, non solum, quae cohaererent verba, disiecit, sed etiam aliqua addidit, ita ut in eius indeque in ceteris praeter Grut. legeretur edd. *interemerunt. Mortuo Alarico Vesegotha, Athaulfo—tradunt*, omisso tamen incuria operarum *regnum* vocabulo. — *regnumque Vesegotharum*) Nomen proprium in Pall. deest, Mg. autem Par. *Vvisigothorum* sistit. — *Ataulfo*) Sic Pall. cum ed. Par. *t* non aspirato, ut vulgo. Omittunt etiam aspirationem τοῦ *t* Orosius VII, 40. 43. Paulinus Euchar. v. 311. Idatius et Marcellinus ad a. 410. Tiro ad a. 413. Isidorus ad Aer.

mente conspicuo, tradunt; nam erat quamvis non adeo proceritate staturae formatus, quantum pulchritudine corporis vultuque decorus.

XXXI. Qui suscepto regno revertens iterum ad Romam, si quid primum remanserat, more locustarum erasit, nec tantum privatis divitiis Italiam spoliavit, imo et publicis, imperatore Honorio nihil resistere praevalente, cuius et germanam Placidiam, Theodosii imperatoris ex altera uxore filiam, ab urbe captivam abduxit. Quam tamen ob generis nobilitatem formaeque pulchritudinem et integritatem castitatis attendens, in Foro Iulii, Aemiliae civitate, suo matrimonio copulavit, ut gentes hac

---

448. Cassiodorus ad a. 412. Historia denique M. XIII, 28. e Graecis vero Zosimus V, 37. 45. et Chronicon Pasch. ad a. 412. Sed dum in capite nominis *t* literam non aspirant Orosius ac quicunque cum eo modo sunt nominati, *ph* pro *f* in exitu eius ponunt, iis, qui *th* exhibuerunt, *f* pro *ph* plerumque repraesentantibus. Graecis, si, quos modo adduxi, excipias, *Ἀδαουλφος* est idem ut plurimum, accentu tamen diverse posito: sic *Ἀδαοῦλφος* apud Philostorgium legitur, *Ἀδάουλφος* autem apud Sozomenum, et apud Olympiodorum modo *Ἀδάουλφος* sistitur in edd. modo *Ἀδαοῦλφος*. Id insuper in efferendo illius regis nomine annotandum, *Ataulfum* legi semper in ed. Grut. non monito tamen lectore, inveneritne ita exaratum in iis, qui Getica continent Pall. necne, nisi quod ad R. S. c. 96. diserte dicit Gruterus, duplici *uu* scriptum cerni in Pall. nomen viri.

Cap. XXXI. *revertens iterum*) Ita pro *item* Ambr. neque offendere debet *iterum* particula *regredi* verbo adiuncta, cum per pleonasmum talia ut *iterum*, *rursus* in hoc nexu saepe soleant adiici. Sic Iordanis ipse supra c. 11. *retro reduci*, infra c. 48 *iterum redire*, R. S. c. 7. *rursus repedare*, c. 11. *rediisse rursus*, c. 102. *reverti rursus*; v. de talibus Tzschuck. ad Eutrop. II, 1. (3.) Barth. ad Claudian. IV Cons. Honor. v. 68. VV. DD. ad Sueton. Caes. c. 2. Freinsh. ind. Flori v. *rursus*, Kritz. ad Salust. Cat. c. 18, 6. Fabr. ad Liv. XXI, 52, 10. XXII, 6, 7. — *ab urbe*) Sic Pall. et ed. Par. *urbe* vulgo. — *in Foro Iulii*) Sic Pall. Ambr. Rod. ed. pr. *in Foro Cornelii* Mg. edd. Leuncl. et Par. Histor. M. Blond. Bonf. lectio vulg. *in Foro Livii* cernitur primum in ed. Leunclav. — *matrimonio copulavit*) Ed. Par.

societate comperta quasi adunata Gothis republica efficacius terrerentur, Honoriumque Augustum, quamvis opibus exhaustum, tamen iam quasi cognatum grato animo derelinquens, Gallias tendit. Ubi cum advenisset, vicinae gentes perterritae in suis se finibus coeperunt continere, quae dudum crudeliter Gallias infestassent, tam Franci, quam Burgundiones. Nam Vandali et Alani, quos supra diximus, permisso principum Romanorum utraque Pannonia resedere, nec ibi sibi metu Gothorum arbitrantes tutum fore, si reverterentur, ad Gallias transiere. Sed mox a Galliis, quas ante non multum tempus occupassent, fugientes, Hispania se reclusere, adhuc memores ex relatione maiorum suorum, quid dudum Geberich, rex Gothorum, genti suae praestitisset incommodi, vel quomodo eos virtute sua patrio solo expulisset. Tali ergo casu Galliae Ataulfo patuere venienti. Confirmato ergo Gothus regno in Galliis Hispanorum casu coepit dolere, eosque deliberans a Vandalorum incursibus eri-

---

matrimonio legitime copulavit, quam lectionem recepit Garetius. — *exhaustum*) Ambr. *exaustum*. — *tamen iam quasi cognatum*) *Iam* particulam addunt Pall. Ambr. Rod. — *ubi quum advenisset*) Pro *ubi* praefert *quo* Ambr. quod correctoris videtur, non Iordanis, qui et ipse supra c. 30. *ibi veniens Alaricus;* v. et cpp. 32. extr. 58. in. 60. extr. — *permisso*) Hanc lectionem reduxi ex ed. pr. temere in *permissu* mutavit eam Rhenanus; v. annot. ad c. 25. extr. — *utraque — Pannonia resedere*) Pall. *utramque Pannoniam:* quomodo si scripsit Iordanis, mallem *insedere*, ut c. 28. extr. — *metu Gothorum*) Sic pro vulg. *ob metum Gothor*. Pall. — *Hispania se recluserunt*) Ambr. *Hispanias secedunt*, cui lectioni favere videtur Epit. *in Hispaniam se receperunt*. — *Gothus*) Ita pro vulg. *Gothis* Pall. — *Hispanorum casu*) Ambr. *Hisp. casum*. — *suis opibus — derelictis*) Sic Pall. optime: *derelictis* sistunt Ambr. quoque et Mg. Par. in ceteris vulgatam secuti, quae est, *per suas opes — delectis*. — *Barcilonam*) Rod. *Barcinonam*, Epit. *Barchinonam*, Bonf. *Barchinam*; *Barcilonam*ne autem legas an *Barcinonam* seu *Barchinonam*, perinde est. Quae enim urbs probae Latinitatis Graecitatisque auctoribus *Barcino* et *Βαρχινὼν* est, eius nomen sesquioris aevi scriptores modo *Barcilonam* efferebant (cui formae respondet *Βαρκέλλων* recentiorum

pere, suis opibus Barcilonam cum certis fidelibus derelictis plebeque imbelli, interiores Hispanias introivit, ubi saepe cum Vandalis decertans, tertio anno, postquam Gallias Hispaniasque domuisset, occubuit gladio ilia perforatus Evervulfi, de cuius solitus erat ridere statura. Post cuius mortem Segericus rex constituitur, sed et ipse suorum fraude peremptus, ocius vitam cum regno reliquit.

XXXII. Dehinc iam quartus ab Alarico rex constituitur Valia, nimis districtus et prudens. Contra quem Honorius imperator Constantium, virum industria

---

Graecorum ut Olympiodor. p. 459.), modo *Barcinonam* seu *Barchinonam*, ut docebunt Surita et Wesselingius ad Antonin. Itin. p. 390. Accusativus autem neminem debet offendere. Quippe — ut annotat Salmasius ad Spartian. Sever. c. 1 — „parum solliciti illa tempestate fuisse videntur homines, quibus in casibus enunciarent urbium nomina: tertium enim et quartum frequenter pro recto usurpabant et sic indeclinabilia faciebant.“ Sic legitur infra c. 56. *in civitate Cerras*, apud Aeth. c. 79. ed. Wuttk. *urbs inclitissima Athenas*, c. 80 *de Thebas urbe nonnulla comperta sunt.* — *plebeque imbelli)* Ed pr. *plebeque imbelle:* correxit Rhenanus, si modo correxit; v. ad c. 49. — *ilia perforatus Evervulfi*) Sic Ambr. cum Pall. quamquam hi a prima scriptura *perforata* sistunt; v. *ilio perforato Vernulfi.* — *Segericus*) Sic histor. M. et Exc. lectio vulg. *Regericus* est, quam Gruterus etiam retinuit, his tamen annotatis: „Ita videtur in Pall. etsi alter tamen scriptus literis, ut vocant, Longobardicis, nihil paene habeat discriminis inter R et S, quare si cui magis placet *Segericus*, habet tantumnon astipulantem illum nostrum Palatinum.“ *Segericus* appellatur etiam ab Orosio VII, 43. Ataulfi ille successor, *Sigericus* autem ab Isidoro ad Aer. 454. et Roderico; idem Σιγγέριχος est Olympiodoro p. 459. — *constituitur)* Ambr. *instituitur.*

Cap. XXXII. *Valia*) Haec est lectio vulg. cui consentiunt Pall. hic quidem cum Epit. et Olympiodorus, abs quo Οὐαλίας scribitur, sed Historia M. Exc. Bonf. geminato *l Vallia*, quomodo legitur etiam apud Orosium, Marcellinum, Idatium et Isidorum. — *districtus*) Revocavi hanc lectionem ex ed. pr. pro vulg. *destrictus,* quae Leunclavium auctorem habet. — *Constantium*) Ita, non, ut vulgo, *Constantinum* legi iubent non modo Ambr. Exc. Mg. Par. sed etiam

militari pollentem multisque proeliis gloriosum, cum exercitu dirigit, veritus, ne foedus dudum cum Ataulfo initum ipse turbaret, et aliquas rursus in republica insidias moliretur vicinis sibi gentibus expulsis, simulque desiderans germanam suam Placidiam subiectionis opprobrio liberare, paciscens cum Constantio, ut, aut bello aut pace vel quoquo modo si eam potuisset ad suum regnum reducere, ei eam in matrimonium sociaret. Quo placito Constantius ovans cum copia armatorum et paene iam regio apparatu Hispanias petit. Cui Valia, rex Gothorum, non minori procinctu ad claustra Pyrenaei occurrit; ubi ab utraque parte legatione directa ita convenit pacisci, ut Placidiam, sororem principis, redderet, suaque solatia Romanae reipublicae, ubi usus exigeret, non denegaret. Eo namque tempore Constantinus quidam apud Gallias invadens imperium, filium suum Constantem ex monacho fecerat Caesarem; sed non diu tenens regnum praesumptum, mox foederatis Gothis Romanisque ipse occiditur Arelato, filius vero eius Vienna. Post quos item Jovinus ac Sebastianus pari temeritate rempublicam occupandam existimantes, pari exitio periere. Nam duodecimo anno regni Valiae, quando et Hunni post paene quinquaginta annos invasa Pannonia a Romanis et Gothis expulsi sunt, videns

---

quicunque illorum temporum conscripserunt historias, ut e Latinis Orosius, Prosper, Tiro, Cassiodorus, e Graecis vero Olympiodorus multis locis, Sozomenus IX, 16. Philostorgius XII, 4. Et ita legendum esse, iam Leunclavius vidit. — *dirigit*) Ambr. *dirigens*. — *gentibus expulsis*) Sic pro *repulsis* Pall. — *si — potuisset reducere, ei — sociaret*) Ita Pall. *si eam potuisset, ad suum regnum revocaret, eique — sociaret* vulgo. Ceterum lectio *eique* a Rhenano est: nam in ed. pr. *ei* tantum legitur. — *foederatis Gothis*) Ed. Lindenbr. *a foederatis Gothis*. — *Arelato — Vienna*) Revocavi hanc lectionem ex ed. pr. quod vulgo legitur *Arelati* et *Viennae*, a Rhenano est; sed vid. ann.

Valia Vandalos in suis finibus, id est Hispaniae solo, audaci temeritate ab interioribus partibus Galliciae, ubi eos fugaverat dudum Ataulfus, egressos cuncta in praedas vastare, eo fere tempore, quo Hierius et Ardabures consules processissent, nec mora, mox contra eos movit exercitum.

XXXIII. Sed Gizericus, rex Vandalorum, iam a Bonifacio in Africam invitatur, qui Valentiniano principi veniens in offensam, non aliter se quam malo reipublicae potuit vindicare. Is ergo suis precibus eos invitans, per traiectum angustiarum, quod dicitur fretum

---

ad c. 15. — *ab int. partib. Galliciae*) Sic, non, ut vulgo, *Galliae*, Pall. cum Mg. Par. sed Ambr. *Galathae*. — *in praedas vastare*) Sic pro vulg. *in praedis* Pall. cum Histor. M. necnon Ambr. mire tamen hic divulsis et coniunctis literis syllabisque *in praeda sua stare*. — *eo fere tempore*) Particulam *fere* addunt Ambr. et ed. Par. pro ea *vero* legitur in edd. pr. quod uncinis inclusum a Leunclavio Vulcanius e textu expulit. — *Ardabures*) Sic Ambr. optime: ubicunque enim a nostro huius viri fit mentio, forma *Ardabures* reperitur, non *Ardaburius*: neque respuunt eam Marcellinus Com. et Cassiodorus ad a. 425. 427. 447. legitur quoque eadem in Fastis Idat. ad a. 447. Lectio vulg. *Ardaburius* ex ed. Leunclav. in ceteras fluxit; nam edd. pr. *Ardaburus* sistunt. — *processissent*) Ita pro vulg. *extitissent* Pall. Ambr. Histor. M. optime: nam *procedere* proprie dicebantur magistratus et praesertim consules, cum in publicum solenni exibant pompa: sic Lactantius M. P. c. 17, 3. *tolerare non potuit, ut Romae potius quam Ravennae procederet consul*, Fasti Idat. ad a. 285. *cum Aristobulo consul processerat*; cf. etiam Claudian. Mall. Theod. Cons. v. 335. in Eutrop. I, 27. in III. Cons. Honor. v. 8. v. insuper, quae de hoc vocabuli usu monuerunt Gutherius de Offic. dom. Aug. p. 446. Drakenborchius ad Sil. It. VI, 44. quique ibi laudantur, et Pogginius ad Coripp. de Laudib. Justin. IV, 214.

Cap. XXXIII. *Gisericus*) Pall. cum Epit. *Gyzericus*. — *non aliter se quam malo*) Sic Pall. et ed. pr. transposuit *se* pronomen Rhenanus, ut vulgo *non aliter quam se malo* legeretur. — *per traiectum angustiarum*) Sic Ambr. neque adversantur Pall. qui exhibent *per traiectum congustiarum*, evidenti librariorum lapsu; v. *per tractum angustum*. — *quod dicitur*) Ambr. *qui dicitur*, quae lectio correctorem

Gaditanum, et vix septem millibus Africam ab Hispaniis dividit, ostioque maris Tyrrheni in Oceani aestum egeritur, transposuit. Erat namque Gizericus iam Romanorum clade in orbe notissimus, statura mediocris, et equi casu claudicans, animo profundus, sermone rarus, luxuriae contemptor, ira turbidus, habendi cupidus, ad sollicitandas gentes providentissimus, semina contentiorum iacere, odia miscere paratus. Talis Africae rempublicam precibus Bonifacii, ut diximus, invitatus, intravit, ubi a divinitate, ut fertur, accepta auctoritate

---

sapit: relativum h. l. ut saepe apud veteres, genere ex sequenti, non antegresso substantivo aptum est, quo de dicendi genere v. quos laudat Kritzius ad Sall. Cat. c. 55, 3. — *ostioque maris Tyrrheni in Oceani aestum egeritur*) Sic Pall. cum Ambr. nisi quod hic *ostiumque* sistit; edd. pr. *ostiaque maris tirreni in Oceani aestum egerit*, ed. Par. *ostioque maris tyrrheni Oceani aestum egerit*, quae lectio etiam a Vulcanio recepta omnes postea edd. obsedit praeter Grut. quae habet *ostioque maris Tyrrheni in Oceani aestum egerit* Lectio Pall. si nostri est manus, Iordanis mare internum in Oceanum effundi non minus opinatus est quam ille, quem exscripsit Suidas v. *Γάδειρα*. *Γάδειρα* — inquit — *τόπος καὶ οἷον ἐκροὴ τῆς πρὸς ἡμᾶς εἰς τὴν Ἀτλαντίδα θάλασσαν καὶ τὸν Ὠκεανόν*, contra veterum, quod sciam, fere omnium sententiam auctoritatemque et contra rem ipsam. Sed habeo, quod, ut noster ita opinatus sit, valde verear. Secutus enim videtur h. l. ut et saepe alias, Orosium, qui ita L. I. c. 1. in. *Tyrrheni maris faucibus Oceani aestus immittitur:* unde lectione Pall. *ostioque* et edd. pr. et Par. *Oceani aestum* retenta et vocabulo *egerit* in *ingerit* mutato censeo legendum *ostioque maris Tyrrheni Oceani aestum ingerit*. — *in orbe*) Sic pro in *urbe* Ambr. saepe autem in utraque hac voce aberrasse librarios docet Drakenborchius ad Sil. It. VI, 554. Et Iordanis ipse talis utriusque vocabuli permutationis exempla offert, ut supra cpp. 5. 15. infra cpp. 36. 49. — *sermone rarus*) Haec lectio in ed. Par. primum comparet, firmaturque Pall. Ambr. Rod. Epit. Bonf. receperunt eam Lindenbrogius et Garetius. In edd. pr. *ratus* legitur, quod Vulcanius retentum in sua ita explicat, ut sit *sermone ratus*, qui Graecis ἀσφαλοεπής, cui contrarium sit ἁμαρτοεπής. — *providentissimus*) Rod. *prudentissimus*. — *a divinitate*) Sic pro vulg. *ad*

diu regnans, ante obitum suum filiorum agmine accito ordinavit, ne inter ipsos de regni ambitione esset intentio, sed ordine quisque et gradu suo, alii si superviveret, id est, seniori suo fieret sequens successor, et rursus ei posterior eius. Quod observantes per annorum multorum spatia, regnum feliciter possedere, nec, quod in reliquis gentibus assolet, intestino bello foedati sunt, suoque ordine unus post unum excipiens regnum, in pace populis imperavit. Quorum ordo iste ac successio fuit: primus Gizericus, qui pater et dominus, sequens Hunnericus, tertius Gundamundus, quartus Thrasamundus, quintus Hilderich. Quo malo gentis suae Gelimer, immemor atavi praeceptórum, de regno eiecto et interempto tyrannidem praesumpsit; sed non ei cessit impune, quod fecerat. Nam mox Iustiniani imperatoris ultio in eum apparuit, et cum omni genere suo opibusque, quibus more praedonis incubabat, Constantinopolim

---

divinitatem Pall. cum Ambr. — *filiorum agmine accito*) Sic Pall. Ambr. ed. Par. nisi quod Ambr. *suorum* repraesentat; *agmen accitum* vulgo. — *intentio*) Ita pro vulg. *dissensio* Pall. — *alii si superviveret*) Sic Pall. cum ed. Par. nisi quod haec *aliis;* v. *aliis qui superviveret.* — *seniori suo*) Ed. Par. *seniori suo filio.* — *excipiens regnum — imperavit*) Ita Pall. *suscipiens regnum — imperarunt* vulgo. — *Primus Gizericus*) Ita ed. Par. et Rod. pro vulg. *primum Gizerichus.* — *Hunnericus*) Epit. *Hunericus.* — *Thrasamundus*) Sic Pall. Rod. Epit. et ed. pr. quae tamen sine aspiratione, quam omittit et ipse Procopius B. V. I, 8. in numis et conspicitur ea et abest; v. *Transamundus*, quae lectio ex ed. Leunclav. in insecutas manavit. — *Hilderich*) Epit. *Hiltericus*; numi modo HILDERIX repraesentant, modo HILDERIK, modo HILDERICVS. — *quo — eiecto et interempto*) Pall. *quem — eiectum et interemptum*, quo modo verosimiliter relictum a Iordane existimat Gruterus. — *Nam mox — ultio in eum apparuit*) Sic Pall. *mox* particulam sistit Epit. quoque; *nam — ultio in eo apparuit* vulgo. — *more praedonis*) Mallem *draconis:* de *draconibus* enim, cum thesauros custodire dicuntur (qua de re cf. praeter alias Cic. Phil. XIII, 5, 12. Phaedr. IV, 20. Macrob. Saturn. I, 20. Grimm. Mythol. T. II. p. 653.),

delatus per virum gloriosissimum Belisarium, magistrum militum orientalem, exconsulem ordinarium atque patricium, magnum in circo populo spectaculum fuit, seramque sui poenitudinem gerens, quum se videret de fastigio regali deiectum, privatae vitae, cui noluit famulari, redactus occubuit. Sic Africa, quae in divisione orbis terrarum tertia pars mundi describitur, centesimo fere anno Vandalico iugo erepta, in libertatem revocata est regni Romani, et quam dudum ignavis dominis, ducibus infidelibus, a reipublicae Romanae corpore gentilis manus abstulerat, a solerti domino et fideli ductore tunc revocata hodieque congaudet. Quamvis et post haec aliquantum intestino proelio Maurorumque infidelitate attritam se lamentaverit, tamen triumphus Iustiniani imperatoris a deo sibi donatus, quod inchoaverat, ad pacem usque perduxit. Sed nobis quid opus est, unde res non exigit, dicere? Ad propositum redeamus. Valia siquidem, rex Gothorum, adeo cum suis in Van-

---

incubare verbum in usu est: sic Festus L. IV. p. 124. ed. Dacer. *incubantes eos* (dracones) *thesauris custodiae causa finxerunt antiqui*; Martialis XII, 53. *incubas gazae, ut magnus draco, quem canunt poëtae Custodem scythici fuisse luci.* — *exconsulem ordinarium*) Sic pro vulg. *et consulem ordinarium* Pall. Ambr. Epit. — *ignavis dominis*) Hanc lectionem Rhenanus dedit pro *ignáris*, quod in ed. pr. legitur. — *ducibus infidelibus*) Haec quoque lectio Rhenano debetur; nam ed. pr. *fidelibus* repraesentat. — *a solerti domino*) Praepositionem adieci, Gruterum secutus. — *tunc revocata*) Ambr. *nunc revocata*, quae lectio vel propter oppositum *hodieque* ferri non potest. — *se lamentaverit*) Ambr. *sese lamentata sit.* — *quod inchoaverat*) Ambr. *quem inchoaverat.* — *ad pacem usque*) Reduxi hanc lectionem ex ed. pr. astipulantibus Pall. Ambr. Mg. Par. Epit. Quod vulgo legitur *ad finem*, in textu quidem comparet ed. pr. sed *ad pacem* legendum esse, monitum est in indice erratorum. Quod quum non animadvertisset Rhenanus, lectionem illam in sua retinuit, ex qua in posteriores fere omnes propagata est. — *Valia*) Habent heic Pall. *Vallia*, cum tamen supra repraesentassent unica litera; immo etiam alibi *Vallias.* GRUT. —

dalos saeviebat, ut voluisset eos etiam in Africa persequi, nisi eum casus, qui dudum Alarico in Africam tendenti contigerat, revocasset. Nobilitatus namque intra Hispanias incruentaque victoria potitus, Tolosam revertitur, Romano imperio fugatis hostibus aliquantas provincias, quod promiserat, derelinquens, sibique adversa post longum valetudine superveniente rebus humanis excessit, eo videlicet tempore, quo Beremud, Thorismundo patre genitus, de quo in catalogo Amalorum familiae superius diximus, cum filio Vitiricho ab Ostrogothis, qui adhuc in Scythiae terra Hunnorum oppressionibus subiacebant, ad Vesegotharum regnum migravit. Conscius enim erat virtutis et generis nobilitatis, facilius sibi credens principatum a parentibus deferri, quem haeredem regum constabat esse multorum. Quis namque de Amalo dubitaret, si vacasset eligere? sed nec ipse adeo voluit, quis esset, ostendere. Et illi iam post mortem Valiae Theodericum ei dedere successorem, ad quem veniens Beremud, animi pondere,

---

in Africam) Ita pro vulg. *ad Africam* Pall. — *incruentaque victoria potitus*) Ambr. *incruentaeque victoriae potitus.* — *Beremud*) Sic Pall. *Berimut* Ambr. *Beremuth* edd. pr. et Par. *Berimundus* Epit. *Boremundus* Bonf. lectio vulg. *Berimundus* profecta est a Vulcanio; v. etiam quod annotatum est de hoc nomine supra ad c. 14. — *Thorismundo — genitus*) Aspirationem addunt Pall. Exc. Epit. edd. pr. et Par. pro lectione ed. pr. *Thoresmundo* primus dedit *Torismundo* Rhenanus, quae lectio ex eius ed. in posteriores propagata est. — *cum filio Vitiricho*) Haec est lectio vulg. retenta a Grutero quoque, qui de lectione Pall. hic nihil indicat. Sed enim in iisdem *Vetericus* dicitur ille vir et supra c. 14. et infra cpp. 48. 58. ut hoc quoque loco ita eos nomen expressisse, veri sit simile. In Epit. *Wictrico* legitur, apud Bonf. *vitrico*, in ed. Par. a. 1579. *Witiricho*, sed in edd. ann. 1583. et 1588. *Witicho*. — *Conscius — generis nobilitatis*) Ita correxit Rhenanus: nam ed. pr. *nobilitate* sistit. — *Theodericum ei dedere*) Ambr. *Theoderichum ei dederant.* — *Beremud*) Edd. pr. et Par. hic *Beremund* sistunt; *Berimund* vulgo. — *animi pondere — eximio*) Sic Ambr. pro

quo valebat eximio, generis sui amplitudinem commoda taciturnitate suppressit, sciens regnantibus semper regali stirpe genitos esse suspectos. Passus est ergo ignorari, ne faceret ordinanda confundi. Susceptusque est cum filio suo a rege Theoderico honorifice nimis, adeo ut nec consilio suo expertem, nec convivio faceret alienum, non tamen pro generis nobilitate, quam ignorabat, sed pro animi fortitudine et robore mentis, quam non poterat occultare.

XXXIV. Quid plurimum? Defuncto Valia, ut superius quod diximus, repetamus, qui parum fuerat felix Gallis, prosperrimus feliciorque Theodericus successit in regno, homo summa moderatione compositus, animi corporisque utilitate abundans. Contra quem Theodosio et Festo consulibus pace rupta Romani Hunnis auxiliaribus secum iunctis in Gallias arma moverunt.

---

vulg. *eximiam.* — *regali stirpe genitos*) Ita Pall. cum Epit. *de regali stirpe genitos* vulgo. — *ordinanda*) Ambr. *ordinata*, quod minus placet, quoniam inter initia regni res non tam ordinatae sunt quam ordinandae. — *nec consilio — expertem, nec convivio alienum*) Ambr. cum Epit. *nec consilii sui expertem, nec convivii alienum.* — *non tamen*) Sic pro vulg. *nec tantum* Pall. — *robore mentis*) Ita Pall. cum Ambr. et Mg. ed. pr. *gentis* vulgo, solenni utriusque vocis inter se commutatione; v. Drakenb. ad Sil. It. VI, 610.

Cap. XXXIV. *Quid plurimum?*) Haec verba, quae in edd. Vulcaniana antiquioribus leguntur, neque a Pall. et Ambr. absunt, omisit, temere satis, primus Vulcanius, neque restituerunt praeter Gruterum, qui postmodum ediderunt Iordanem. — *felix Gallis*) Ambr. *Gallus.* — *utilitate abundans*) Ambr. cum edd. pr. et Par. *utilitate habendus:* qua lectione merito offensus, dum nec in Leunclavii coniectura *ut illa aetate* acquiescit, primus in sua dedit Vulcanius *virilitate abundans*, omnibus post editoribus eam lectionem amplectentibus. Sed enim ut *abundans* optime coniecit Vulcanius, ita vox *utilitate* non erat sollicitanda. Valet enim vocabulum *utilis* sesquiori idem aetate, quod voces bonus, fortis aliaque similis significationis: sic Vegetius R. M. I, 8. *repudiandi minus utiles et in locum eorum strenuissimi subrogandi sunt;* Historia Trip. VII, 2. *nullum signum in eo mihi*

Turbaverat namque eos Gothorum foederatorum manus, quae cum Gaina comite Constantinopolim efferasset. Aetius ergo patricius tunc praeerat militibus, fortissimorum Moesiorum stirpe progenitus in Dorostorena civitate a patre Gaudentio, labores bellicos tolerans, reipublicae Romanae singulariter natus, qui superbiam Suavorum Francorumque barbariem immensis caedibus servire Romano imperio coëgisset. Hunnis quoque auxiliariis Litorio ductante contra Gothos Romanus exercitus movit procinctum, diuque ex utraque parte acie ordinata, quum utrique fortes et neuter infirmior esset, datis dextris in pristinam concordiam redierunt, foederereque firmato ab alterutro fida pace peracta, recessit

---

utile videbatur; Gregorius Tur. II, 12. *novi utilitatem tuam, quod sis valde strenuus*; idem II, 17. *nullus tam inculta, ut tu, detulit arma: nam neque tibi hasta, neque gladius, nec securis est utilis.* — *quae cum Gaina—Constantinopolim efferasset*) Sic optime Pall. *Gaina*, quod conieoit iam Leunclavius, exhibet etiam ed. Par. *efferasset* autem Ambr. quoque et Mg. Par. pro *Constantinopolim* sistunt Mg. Leuncl. et ex eo ed. Lindenbr. *Constantinopoli*, retenta tamen in reliquis lectione vulgata, quae est, satis absurde, *quae cum Cama comite Constantinopolim se foederasset.* — *Moesiorum stirpe progenitus*) Pall. *Moesium:* legendum fortasse *Moesorum*, quum *Moesus*, non *Moesius* forma sit solennis et legitima, qua praeter alios utuntur Florus IV, 12, 3. Solinus c. 40, 20. Vegetius R. M. I, 28. Claudianus in Rufin. II, 46. noster denique ipse R. S. c. 63. Legitur quidem forma *Moesii* apud Pollion. Trigint. Tyr. c. 10. et vit. Claud. c. 9. sed utroque loco formam *Moesi* legendam proponit Salmasius. — *in Dorostorena civitate*) Ita optime Mg. Par. quum ducatur vocabulum a *Dorostoro*, Moesiae urbe; minus bene Pall. *Dorostona*, Ambr. *Dorostana*, Epit. *Dorostera*, Bonf. *Doroscora*; vulg. *Dorostena.* — *qui superbiam*) Ed. Lindenbr. *qui cum superbiam* cet. — *superbiam Suavorum*) Sic Pall. semper, non *Suevorum*, ut vulgo. Procopio quoque B. G. I, 12. 16. *Σουάβοι* et *Σουαβία*, non *Σουῆβοι* et *Σουηβία* memorantur. — *coegisset*) Ambr. *coegit.* — *movit procinctum*) Ita emendasse sibi visus est Vulcanius, quum *motus* in Leunclav. in qua haec lectio primum compareat, vel in Par. invenisset: sed *movit* iam in ed. pr. legitur. — *infirmior*) Sic pro vulg. *firmior* Pall. Ambr. Epit. — *recessit*) Ambr. *secessit*,

uterque. Qua pace Attila, Hunnorum omnium dominus et paene totius Scythiae gentium solus in mundo regnator, erat famosa inter omnes gentes claritate mirabilis. Ad quem in legationem se missum a Theodosio iuniore Priscus historicus tali voce inter alia refert: Ingentia siquidem flumina, id est Tisiam, Tibisiamque et Driccam transeuntes, venimus in locum illum, ubi dudum Vidigoia, Gothorum fortissimus, Sarmatum dolo occubuit; indeque non longe ad vicum, in quo rex Attila morabatur, vicum inquam, ad instar civitatis amplissimae, in quo lignea moenia ex tabulis nitentibus fabrefacta reperimus, quarum compago ita solidum mentiebatur, ut vix ab intento posset iunctura tabularum comprehendi. Videres triclinia ambitu prolixiore distenta porticusque in omni decore dispositas. Area vero curtis ingenti ambitu cingebatur, ut amplitudo ipsa regiam aulam ostenderet. Hae sedes erant

---

solenni apud nostrum verborum *secedere* et *recedere* permutatione. — *Qua pace—erat famosa—mirabilis*) Sic Pall. cum Ambr. *Qua pacatur —qui erat famosa—mirabilis* vulgo. — *se missum—refert*) Ita Pall. cum Ambr. sed ed. Grut. *missus*; v. *remissus*. *historicus*) Hanc vocem ex edd. pr. revocavi: addunt Pall. quoque et Epit. primus omisit Vulcanius, quod non debebat. Prisci enim quoties mentionem iniicit Iordanis, *historici* nomine eum ornat; v. cpp. 24. 42. 49. — *Tisiam — Driccam transeuntes*) Hanc lectionem profectam a Rhenano omnes post exhibent edd. nam in ed. pr. recto casu efferuntur nomina illa, quomodo et in Pall. *Tisia, Tibussiaque et Dricca.* Eadem nomina sistit e nostro Geographus Rav. IV, 14. nisi quod *Drica* pro *Dricca*. Paulo tamen aliter effert ea Priscus ipse p. 183. *ναυσιπόροις προσεβάλομεν ποταμοῖς, ὧν οἱ μέγιστοι μετὰ τὸν Ἴστρον ὅ τε Δρήκων λεγόμενος καὶ ὁ Τίγας καὶ ὁ Τιφήσας ἦν.* — *Vidigoia*) Sic pro vulg. *Vidicula* Pall. cum Ambr. et Mg. Par. *Indigoia* Blond. et Bonf. — *ex tabulis nitentibus fabrefacta*) Ita ed. Par. nisi quod *ingentibus* sistit; *fabricata* vulgo. — *area — curtis*) Sic Pall. quoque cum Epit. sed Ambr. *cortis*, quod coniecerunt iam ut melioris Latinitatis auctoribus usitatius Peutingerus et Vulcanius, et quo ducit etiam lectio ed. Par. *cortinis*. —

Attilae regi barbariem totam tenenti; haec captis civitatibus habitacula praeponebat.

XXXV. Is namque Attila patre genitus Mundzucco, cuius fuere germani Octar et Roas, qui ante Attilam regnum Hunnorum tenuisse narrantur, quamvis non omnino cunctorum, quorum ipse. Post quorum obitum cum Bleda germano Hunnorum successit in regnum, et, ut ante expeditioni, quam parabat, par foret, augmentum virium parricidio quaerit, tendens ad discrimen omnium nece suorum. Sed librante iustitia detestabili remedio crescens, deformes exitus suae crudelitatis invenit. Bleda enim fratre fraudibus perempto, qui magnae parti regnabat Hunnorum, universum sibi populum adunavit, aliarumque gentium, quas tunc in ditione tenebat, nu-

---

regi barbariem totam tenenti) Sic Ambr. *barbariem* exhibet ed. quoque pr. sed inde a Rhenano *barbariam* legitur in edd. *regis barbariam totam tenentis* vulgo. — *praeponebat*) Mallem *proponebat.*

Cap. XXXV. *patre Mundzucco*) Sic libri quidem Iordanis et scripti et editi, neque adversatur huic scripturae Priscus, cui p. 150. *Μουνδίουχος* est idem, quum apud nostrum hoc quoque in nomine, ut supra in vocabulis *Scandzae* et *Burgunzonum* syllaba *di* in *z* vel *dz* abierit. At mire variant, qui nostrum exscripserunt: in Exc. enim *Mauzuchus* legitur, in Epit. *Munsuchus*, apud Blond. *Mundicius*, apud Bonf. *Bendecucus*. Octar — Exc. *Hoctar*, Epit. *Ortar*, Blond. cum Bonf. *Ottar*. — *regnum Hunnorum*) *Hunnorum* nomen abest a Pall. quare eiecit Gruterus: ego vero retinendum duxi vel propter verba, quae proxime sequuntur. — *quamvis non omnino cunctorum, quorum ipse. Post quorum obitum*) Sic legendum et distinguendum iubentibus Pall. et Ambr. illa *post quorum* comparent quoque in Mg. Par. *quamvis non omnino cunctorum. Eorum ipse post obitum* vulgo. — *Bleda*) Sic pro vulg. *Bleta* Pall. Ambr. Exc. eodem modo scriptum exhibent nomen Tiro, Prosper, Marcellinus: neque non Graeci per secundam literam nomen efferunt: sic Prisco *Βλήδας* ille est, Chronico Pasch. p. 730. *Βλίδας* et Theophani p. 158. transpositis literis *Βδέλας*. In Mg. edd. Leuncl. et Par. *Buta* et *Buda* legitur. — *librante iustitia*) Ita primus dedit e Mg. ed. Leuncl. vel Par. Leunclavius: nam edd. pr. *liberante* sistunt. — *libr. iustitia detestabili remedio*) Ambr. *iustitiae remedio.* — *adunavit*) Sic pro vulg. *subiugavit* Pall. cum Ambr. —

merositate collecta, primas mundi gentes, Romanos Vesegothasque, subdere peroptabat. Cuius exercitus quingentorum millium esse numero ferebatur. Vir in concussionem gentium natus in mundo, terrarum omnium metus, qui, nescio qua sorte, terrebat cuncta formidabili de se opinione vulgata. Erat namque superbus incessu, huc atque illuc circumferens oculos, ut elati potentia ipso quoque motu corporis appareret; bellorum quidem amator, sed ipse manu temperans, consilio validissimus, supplicantibus exorabilis, propitius in fidem semel receptis; forma brevis, lato pectore, capite grandiori, minutis oculis, rarus barba, canis aspersus, simo naso, teter colore, originis suae signa restituens. Qui quamvis huius esset naturae, ut semper magna confideret, addebat ei tamen confidentiam gladius Martis inventus, sacer apud Scytharum reges semper habitus, quem Priscus

---

peroptabat) Pall. *praeoptabat:* an *properabat?* — *quingentorum millium —numero*) Ita pro vulg. *numerus* Pall. cum Histor. Misc. quorum auctor nostrum hic sequitur: numeros tamen aliter in suo videtur reperisse libro: exhibet enim *septingentorum millium.* — *in concussionem gentium*) Sic pro vulg. *in concussionem gentis* Pall. Ambr. Exc. Otto Fris. Epit. et ed. Par. haec tamen *in confusionem* praefert. — *supplicantibus exorabilis*) Pall. *supplicantium*, quod recepit Gruterus. — *in fidem—receptis*) Ita Pall. cum Histor. Misc. et Bonf. *in fide* vulgo. — *simo naso*) Ambr. *simeo naso,* Histor. Misc. *simus naso. restituens*) Ed. Lindenbr. *referens,* ex Exc. ut opinor vel Histor. Misc. in qua id vocis ante Gruterum legebatur, sed hic ipse *restituens* reposuit e fide codd. Ammerbach. et Pall. addita *resipiens* coniectura. At ego, si libri addicerent, et ipse *referens* amplecterer, quum similis dictio legatur supra c. 9. *Herculis ingenium formae similitudine referebat.* — *confideret*) Haec vox mihi est suspecta et propter alienam verbi structuram et propter dictionem proxime sequentem *addebat confidentiam*, quae aliud ac *confidere* requirit verbum: Epit. quidem *cuperet* sistit, sed hoc non satisfacit, quum vix intelligatur, qui *cuperet* in *confideret* potuerit abire: an fuit fortasse *conciperet*? — *sacer*) Hanc vocem addunt Pall. Epit. Bonf. atque edd. Par.

historicus tali refert occasione detectum: Quum pastor — inquiens — quidam gregis unam buculam conspiceret claudicantem, nec causam tanti vulneris inveniret, sollicitus vestigia cruoris insequitur, tandemque venit ad gladium, quem depascens herbas bucula incaute calcaverat, effossumque protinus ad Attilam defert. Quo ille munere gratulatus, ut erat magnanimus, arbitratur se totius mundi principem constitutum et per Martis gladium potestatem sibi concessam esse bellorum.

XXXVI. Huius ergo mentem ad vastationem orbis paratam comperiens Gizericus, rex Vandalorum, quem paulo ante memoravimus, multis muneribus ad Vesegotharum bella praecipitat, metuens, ne Theodericus, Vesegotharum rex, filiae suae ulcisceretur iniuriam, quae Hunnericho, Gizerici filio, iuncta, prius quidem tanto coniugio laetaretur, sed postea, ut erat ille et in sua pignora truculentus, ob suspicionem tantummodo veneni ab ea parati, naribus abscisam truncatamque auribus spolians decore naturali, patri suo ad Gallias remiserat, ut turpe funus miseranda semper offerret, et crudelitas, qua etiam moverentur externi, vindictam patris efficacius impetraret. Attila igitur dudum bella concepta Gizerici redemptione parturiens, legatos in Italiam ad Valentinianum principem misit, serens Gothorum Romanorumque discordiam, ut, quos proelio non poterat concutere, odiis internis elideret, asserens, se reipublicae eius amicitias in nullo violare, sed contra Theodericum, Vesegotharum

---

visitur ea etiam in Grut. et Garet.; in reliquis non comparet. — *incaute*) Exc. cum Epit. et Bonf. *incauta*.

Cap. XXXVI. *Filia suae—iniuriam*) Vocem *suae*, quam temere eiecit Rhenanus, revocavi ex ed. pr. sistit eam Ambr. quoque. — *naribus abscisam truncatamque auribus spolians*) Sic optime Pall. et ed. Par. nisi quod haec *abscissam*, sed ed. Garet. *eam naribus abscissis truncatisque auribus*; v. *eam putatis naribus spolians*. — *ut turpe funus*)

régem, sibi esse certamen. Unde cum excipi libenter optaret, cetera epistolae usitatis salutationum blandimentis oppleverat, studens fidem adhibere mendacio. Pari etiam modo ad regem Vesegotharum Theodericum dirigit scripta, hortans, ut a Romanorum societate discederet, recoleretque proelia, quae paulo ante contra eum fuerant concitata sub nimia feritate. Homo subtilis, antequam bella gereret, arte pugnabat. Tunc Valentinianus imperator ad Vesegothās eorumque regem Theodericum in his verbis legationem direxit: Prudentiae vestrae est, fortissimi gentium, adversus orbis conspirare tyrannum, qui optat mundi generale habere servitium, qui causas proelii non requirit, sed, quicquid commiserit,

---

Ambr. *scilicet ut turpe funus.* — *esse certamen. Unde cum — optaret, cetera* cet.) Sic legitur et distinguitur in ed. Grut. non monito tamen lectore, itane Pall. praeferant necne: multo melius certe, quam edd. ceterae omnes praeferunt habentque distinctum, *esse certamen*, *unde eum excipi libenter optaret. Caetera epistolae.* — *adhibere*) Quid si legas *adhiberi* vel *adiicere?* — *dirigit*) Revocavi hanc lectionem ex edd. pr. et Par. sistit eam Garet. quoque; quod vulgo legitur *erigit*, in Leunclav. primum visitur. — *scripta*) Sic pro vulg. *scriptum* Pall. — *concitata sub nimia feritate. Homo subtilis* cet.) Hunc locum quo saepius accuratiusque considero, eo suspectior mihi fit eumque et distinctione et scriptura laborare existimo. Itaque iam primum distinctionem maiorem post verba *fuerant concitata* ponendam censeo, suadente id vel numero orationis ac sententia commodiori. Deinde latet in *sub* praepositione mendum legendumque pro ea *sic*, quam particulam suppeditat et Epit. in qua legitur, *sic homo* cet. Accedit, quod Iordanis in transitionibus particulis *sic* et *ita* uti solet, ut cpp. 3. 8. 33. 40. 41. 43. 49. 50. 60. R. S. cpp. 5. 15. 66. 117. Denique pro *nimia* legi malo *in nimia*, absorpta praepositione a prima sequentis vocis syllaba. Quibus praestructis ita distingendum et legendum *fuerant concitata. Sic in nimia feritate homo subtilis — arte pugnabat.* — *fortissimi gentium*) Sic Ambr. cuius lectionem vulgatae *fortissime* ideo duxi praeferendam, quia compellatus est tota epistola non solum rex Theodericus, sed universi etiam simul Gothi. — *adversus orbis — tyrannum*) Sic pro *urbis* Pall. Ambr. Epit. Bonf. et Mg. edd. Leuncl.

hoc putat esse legitimum. Ambitum suum brachio metitur, superbiam licentia satiat; qui ius fasque contemnens, hostem se exhibet naturae. Cunctorum etenim meretur hic odium, qui in commune omnium se approbat inimicum. Recordamini, quaeso, quod certe non potest oblivisci, ab Hunnis non per bella, ubi communis casus est, fusum, sed, quod graviter angit, insidiis appetitum. Ut de nobis taceamus, potestis hanc

---

et Par. — *superbiam licentia satiat*) Ita pro vulg. *superbia licentiam* Pall. — *hostem—naturae. Cunctorum etenim meretur hic odium*) Ita distinctum exhibui locum praeeuntibus Epit. Bonf. edd. Grut. et Garet. quum vulgo distingueretur *hostem se exhibet naturae cunctorum. Etenim meretur hic odium.* — *Recordamini — ab Hunnis non per bella, ubi communis casus est, fusum, sed quod — angit, insidiis appetitum*) Sic Pall. et Ambr. nisi quod hic *anget* pro *angit:* quorum tamen lectionem, quamvis multo sit praeferenda vulgatae *recordamini — oblivisci. Ab Hunnis casus est fusus, sed quod graviter agit, insidiis agit appetitum. Unde ut de nobis* cet. pro genuina ut habeam, longe absum. Etenim quis tandem ille, quem *non per bella fusum*, sed *insidiis appetitum* recordari iubentur Gothi? Substantivum desiderari, ad quod referantur illa, quis non videt? Et latere id in adverbio *unde*, quod vulgo legitur, in Pall. vero et Ambr. intercidit, ego quidem habeo persuasum, proque eo *mundum* suspicor legendum, causam depravationis in eo quaerens, quod finali praecedentis vocis *appetitum* initialis sequentis *mundum* hausta sit librariusque, quum compendiose scriptam deprehendisset ultimam vocis syllabam, *unde* pro truncato abbreviatoque *undu* exhibuerit. Insuper autem nec vox *fusum* mihi satisfacit, nondum enim *fusus* erat mundus, sed *optabat* Attila *mundi generale habere servitium*, quare legendum fortasse *invasum* pro ista voce, cui coniecturae concinnitas etiam membrorum videtur favere. Denique pro illo *non*, quod ante vocem *potest* conspicitur, legerim *nemo*, quum utraque vox saepissime inveniatur permutata, nisi quis passive *oblivisci* verbo usum h. l. esse Iordanem, quemadmodum et alias deponentibus verbis, malit: sic itaque legenda tota enunciatio: *Recordamini, quaeso, quod certe nemo* (vel *non*) *potest oblivisci, ab Hunnis non per bella, ubi communis casus est, sed, quod graviter angit, insidiis appetitum mundum. Ut de* cet. — *ut de nobis taceamus*) *De* praepositio in edd. pr.

inulti ferre superbiam? Armorum potentes, favete propriis doloribus, et communes iungite manus. Auxiliamini etiam reipublicae, cuius membrum tenetis. Quam sit autem nobis expetenda vel amplexanda societas, hostes interrogate consilia. His et similibus legati Valentiniani regem permovere Theodericum. Quibus ille respondit: Habetis, inquit, Romani, desiderium vestrum; fecistis Attilam et nobis hostem. Sequimur illum quocunque vocaverit, et quamvis infletur de diversis superbarum gentium victoriis, norunt tamen Gothi confligere cum superbis. Nullum bellum dixerim grave, nisi quod causa debilitat, quando nil triste pavet, cui maiestas arriserit. Acclamant responso comites ducis, laetum sequitur vulgus. Fit omnibus ambitus pugnae, hostes iam Hunni desiderantur. Producitur itaque a rege Theoderico Vesegotharum innumerabilis multitudo; qui quatuor filiis domi dimissis, id est Friderico et Eurico, Retemeri et

---

non conspicitur; inseruit Leunclavius. — *inulti*) Haec lectio debetur ed. Par. nam antiquiores *multis* exhibent. — *potentes*) Ambr. *potestates*. — *favete propriis doloribus*) Possunt haec quidem explicari, sed ita, ut commodam vix elicias sententiam, quare mallem *favete propriis laribus* vel etiam *laboribus*, ut cpp. 30. 59. — *hostes interrogate consilia*) Ita vulgo, sed *hostis* dedit Lindenbrogius eumque secutus Garetius: Pall. cum Ambr. *hos* praeferunt, quod recepit Gruterus: nulla tamen harum lectionum videtur a Iordane profecta: quid si legas *vosmet interrogate. Consiliis his* cet. — *superbarum*) Haec vox mihi non probatur: loco eius legendum fortasse *superbus* vel propter sequentia vel *superbus barbararum*, ut in unum duo coaluerint vocabula. — *comites ducis*) Legendum *comites, duces:* nam dignitatis honorisve titulum esse *comitis* nomen quum ignorarent, *duces* in *ducis* mutarunt librarii. Est autem *comitum* Gothorum mentio et apud nostrum infra c. 58. 59. et apud Cassidorum Var. multis locis. — *multitudo*) Ambr. cum Epit. *exercitus*. — *Eurico*) Sic Pall. Exc. Epit. et ed. Lindenbr. sed Ambr. *Teurico*; vulg. *Turico*. — *Retemeri*) Ita Pall. (nisi quod *Retemerim*, ut et *Euricum* casu quarto efferunt) et ed. pr. *Retemere* Ambr. *Retemire* Exc. *Betemeri* Epit. *Rotemeri* Bonf.

Himmerith, secum tantum Thorismund et Theodericum maiores natu participes laboris assumit. Felix procinctus, auxilium tutum, suave collegium habere solatia eorum, cum quibus delectat ipsa etiam simul subire discrimina. A parte vero Romanorum tanta patricii Aetii providentia fuit, cui tunc innitebatur respublica Hesperiae plagae, ut undique bellatoribus congregatis adversus ferocem et infinitam multitudinem non impar occurreret. Hi enim affuere auxiliares: Franci, Sarmatae, Armoriciani, Liticiani, Burgundiones, Saxones, Riparioli, Briones, quondam milites Romani, tunc vero iam in numero auxiliariorum exquisiti, aliaeque nonnullae Celticae vel Germanicae nationes. Convenitur itaque in campis Cata-

---

Botemire ed. Lindenbr. *Botemero* quod vulgo legitur, a Rhenano est. — *Himmerith*) Sic Pall. idem vulgo legitur, sed non aspirata t litera; *Irmnerit* Ambr. *Imnerico* Exc. *Hunerito* Epit. *Hunnerico* Bonf. *Himmeric* ed. Lindenbr. — *auxilium tutum, suave collegium habere solatia eorum, cum quibus* cet.) Ita Pall. optime; inepte vulgo *auxiliantium suave collegium habere, et solatia illorum, quos delectat* cet. Illud *quos* in textu vulg. primus dedit Vulcanius e Mg. ed. Par. nam edd. pr. *quibus* exhibent. — *ipsa etiam*) Vox *ipsa* ab ed. Par. abest. — *Hi enim affuere*) Sic pro vulg. *his* Pall. Ambr. Freculph. *affuere*) Ambr. *adfuerunt*. — *auxiliares*) Ambr. cum Freculph. *auxiliatores*. — *Armoriciani*) Sic Pall. Histor. Misc. Freculph. Exc. *Armoritiani* vulgo. — *Liticiani*) Ita Pall. Ambr. Monac. *Litigiani* Mg. Par. *Luticiani* Exc. *Luteciani* Histor. Misc. ed. Murat. sed *Liticiani* ed. Grut. *Lutetiani* Blond. et Bonf. *Litiani* vulgo. — *Riparioli, Briones*) Sic Pall. et Histor. Misc. ed. Grut. *Riparii, Olibriones* Ambr. et Monac. *Ripariolibriones* iunctim Freculph. *Bipparioli, Ybriones* Epit. *Libari, Gibriones* Mg. ed. Par. a. 1759. *Libari, Gilbriones* Mg. edd. Par. 1583 et 1588. *Riparioli Bariones* Histor. Misc. ed. Murat. *Riparioli, Lambriones* Blond. cum Bonf. *Uriones* Rod. *Ripariolii, Brigones* (al. *Briones*) Otto Frising. — *in campis Catalaunicis*) Sic Pall. Ambr. Freculph. Epit. nisi quod haec *Catelaunicis*; v. *in campos Catalaunicos*. — *Mauriaci*) Ita Pall. Ambr. Freculph. Exc. sed Epit. *Maneciaci*: quod vulgo legitur *Mauricii*, a Rhenano est; nam ed. pr. *Maurici* praefert, quod apud Bonf. quoque uno in loco exhibetur, cum in altero *Mauriaci* legatur. Genuinam autem esse lec-

launicis, qui et Mauriaci nominantur, centum leugas, ut Galli vocant, in longum tenentes et septuaginta in latum. Leuga autem Gallica mille et quingentorum passuum quantitate metitur. Fit ergo area innumerabilium populorum pars illa terrarum. Conferuntur acies utrinque fortissimae; nihil subreptionibus agitur, sed aperto Marte certatur. Quae potest digna causa tantorum motibus inveniri? aut quod odium in se cunctos animavit armari? Probatum est, humanum genus regibus vivere, quando unius mentis insano impetu strages sit facta populorum, et arbitrio superbi regis momento deiicitur, quod tot seculis natura progenuit.

XXXVII. Sed antequam pugnae ipsius ordinem referamus, necessarium videretur edicere, quae in ipsis bellorum motibus accidere, quia sicut famosum proelium, ita multiplex atque perplexum. Sangibanus namque, rex Alanorum, metu futurorum perterritus, Attilae se tradere pollicetur, et Aurelianam, civitatem Galliae, ubi tunc consistebat, in eius iura transducere. Quod

---

tionem receptam, probatur et aliunde: quippe *campus Mauriacus* legitur apud Gregor. Tur. II, 7. et *locus qui vocatur Mauriacus*, in vita Aniani apud Duchesn. T. I. p. 522. Mallet tamen *Mauriacii* Gruterus. — *nominantur*) Ambr. et Freculph. *vocantur*. — *leugas*) Histor. Misc. et Exc. *leuvas*, Epit. *leucas*. — *area*) Pro hac voce haud scio an *arena* legendum sit, quo vocabulo pugnae locum proeliorumque sedem plus semel designat familiarissimus nostro Annaeus Florus; v. III, 20, 4. ibid. 21, 1. IV, 2, 18. ibid. 7, 6. — *conferuntur*) Ed. Grut. *conseruntur*. — *utrimque*) Sic pro *utraeque* Mg. Par. — *aperto Marte certatur*) Ita exhibet ed. Par. eamque secutus Garetius; *apertum Martem testantur* vulgo. — *motibus*) Ed. Par. *mortibus*. — *deiicitur*) Pall. cum Mg. Par. *deficit*.

Cap. XXXVII. *videretur*) Mallem *videtur* vel *videatur*. — *Attilae se tradere*) Edd. pr. *Attilae ei se tradere*, sed vocem *ei* uncinis inclusam in edd. Leuncl. et Par. plane abiecit Vulcanius. Quid tamen, si pro *ei iam* particulam ponas, quae compendiose scripta in *ei* quam facile potuerit abire, quivis videt. — *transducere*) Ambr. *contradere*.

ubi Theodericus et Aetius agnovere, magnis aggeribus eandem urbem ante adventum Attilae struunt, suspectumque custodiunt Sangibanum, et inter suos auxiliares medium statuunt cum propria gente. Igitur Attila, rex Hunnorum, tali perculsus eventu, diffidens suis copiis, metuens inire conflictum, intusque fugam revolvens ipso funere tristiorem, statuit per haruspices futura inquirere. Qui more solito nunc pecorum fibras, nunc quasdam venas in abrasis ossibus intuentes, Hunnis infausta denunciant; hoc tamen quantulum praedixere solatii, quod summus hostium ductor de parte adversa occumberet, relictaque victoria sua morte triumphum foedaret. Quumque Attila necem Aetii, quod eius motibus obviabat, vel cum sua perditione duceret expetendam, tali praesagio sollicitus, ut erat consiliorum in rebus bellicis exquisitor, circa nonam diei horam proelium sub trepidatione committit, ut, si secus cederet, nox imminens subveniret.

— *struunt*) Sic Pall. et ita Rod. quoque reperisse in suo, apparet ex eius verbis *civitatem iniectis aggeribus occuparunt*. Sed Vulcanius *praestruunt* coniicit legendum, Tillemontius T. VI. p. 155. *instruunt*. Vulgo legitur *destruunt*, quam lectionem tenent Dubosius T. I. p. 555. et Desiricius l. l. T. III. L. IV. P. II. c. 9. — *perculsus*) Ed. Par. *proculsus*. — *quantulum*) Histor. Misc. cum Exc. *quantulumcunque*, optime, si elibris. Eadem tamen, qua hic significatione, ut *quantulum* idem sit quod *quantulumcunque*, legitur vox ea R. S. c. 32. in. ut hic non sit mutandum. — *relictaque victoria — triumphum foedaret*) Haud scio an *relictaeque victoriae* legendum sit. Ceterum in Mg. Par. *reliquamque victoriam* legitur. — *quod—obviabat*) Mg. Par. cum Epit. *qui-obviabat*. — *cum sua perditione*) Histor. Misc. et Exc. *cum suorum perditione*, quemadmodum etiam reperit in suo Bonfinius, cum exhibeat *Aetii mortem suorum salute chariorem habendam esse arbitrabatur:* at a vulg. stat Epitome, quae ita: *mortem Ecii* (l. *Aëtii*) *etiam cum suo exitio affectabat*. — *si secus cederet*) Ita Pall. vulgo *ut si non secus cederet*, quod et ipsum ferri possit, si suppleamus cogitatione *atque haruspices praedixissent*.

XXXVIII. Convenerunt partes, ut diximus, in campos Catalaunicos. Erat autem positio loci declivi tumore in editum collis excrescens. Quem uterque cupiens exercitus obtinere, quia loci opportunitas non parvum beneficium conferret, dextram partem Hunni cum suis, sinistram Romani et Vesegothae cum auxiliariis occuparunt, relictoque de cacuminis eius iugo certamen ineunt. Dextrum itaque cornu cum Vesegothis Theodericus tenebat, sinistrum Aetius cum Romanis, collocantes in medio Sangibanum, quem superius retulimus praefuisse Alanis, providentes cautione militari, ut eum, de cuius animo minus praesumebant, fidelium turba concluderent. Facile namque assumit pugnandi necessitatem, cui fugiendi imponitur difficultas. E diverso vero fuit Hunnorum acies ordinata, ut in medio Attila cum suis fortissimis locaretur, sibi potius rex hac ordinatione prospiciens, quatenus inter gentis suae robur positus ab imminenti periculo redderetur exceptus. Cor-

Cap. XXXVIII. *Convenerunt partes*) Sic legendum, distinguendum, ab his verbis caput inchoandum. *Convenerunt* pro vulg. *converteret* suppeditant Pall. vel *convenere* Mg. Par. quod ubi recepimus, distinctio maior post *subveniret* erat ponenda: et commodius a *convenerunt*, quam ab illis *erat autem* caput exoriri, quivis videt. Vulgo autem legitur et distinguitur *nox imminens subveniret, converteret partes, ut diximus, in campos Catalaunicos.* — *in editum collis*) Sic Pall. Ambr. Mg. Par. *in modicum* Epit. *in modum* vulgo. — *relictoque de — iugo certamen ineunt. Dextrum itaque* cet.) Haec lectio unice vera debetur ed. Par. in ceteris edd. male et legitur et distinguitur *occuparunt. Relictoque de cacuminis eius iugo certamine, dextrum cornu* cet. Coaluerant in libris, ex quibus editiones plurimae fluxerunt et in Ambr. voces *certamen ineunt* in unum vocabulum *certamine* vel *certamini*, unde perversa illa lectio *relictoque — certamine*, sensu iis, quae h. c. narrantur, plane contrario. Insuper *itaque* particula tum in edd. pr. tum in Ambr. reperitur; uncinis a Leunclavio inclusam Vulcanius e textu expulit: nos restituimus. — *cautione militari*) Ed. Par. *cautioni* eiusque Mg. *familiari.* — *fidelium turba*) Ita primum ed. Par. sed priores *fidelium cum turba.* — *ab imminenti periculo*)

nua vero eius multiplices populi et diversae nationes, quas ditioni suae subdiderat, ambiebant. Inter quos Ostrogotharum praeeminebat exercitus Valamire et Theodemire et Videmere germanis ductantibus, ipso etiam rege, cui tunc serviebant, nobilioribus, quia Amalorum generis eos potentia illustrabat; eratque et Gepidarum agmine innumerabili rex ille fortissimus et famosissimus Ardaricus, qui ob nimiam suam fidelitatem erga Attilam eius consiliis intererat. Nam perpendens Attila sagacitatem suam, eum et Valamirem, Ostrogotharum regem, super ceteros regulos diligebat. Erat namque Valamir secreti tenax, blandus alloquio, doli ignarus; Ardarich fide et consilio, ut diximus, clarus. Quibus non immerito contra parentes Vesegothas debuit credere pugnaturis. Reliqua autem, si dici fas est, turba regum diversarumque nationum ductores, ac si satellites, nutibus Attilae attendebant, et ubi oculo annuisset, absque aliqua murmuratione cum timore et tremore unusquisque astabat, aut certe, quod iussus fuerat, exsequebatur.

Imminenti esse legendum pro *eminenti* coniecerat iam Peutingerus; Rhenanus vero primus eam lectionem in textum induxit: confirmat Peutingeri coniecturam Rodericus. — *Valamire*) Sic pro vulg. *Walamire* Pall. — *Theodemire*) Ita primus exhibuit Rhenanus; nam in ed. pr. *Theodemiri* legitur. — *Videmere*) Sic Pall. vulg. *Widemire*, quae lectio ab eodem est Rhenano, quum ed. pr. *Widimere* praeferat. — *illustrabat; eratque et Gepidarum agmine*) Haec verba non omni a parte sana videntur: quid si legas *illustrabat; aderatque et Gepidarum cum agmine*, syllaba *ad* in *aderat* hausta a praecendenti *at* in *illustrabat* et *cum* praepositione absorpta ab ultima vocabuli *Gepidarum* syllaba. — *fortissimus et famosissimus*) Vocabula *fortissimus et* solae exhibent edd. Par. et Garet. — *sagacitatem suam*) Ambr. *societate sua*. — *doli ignarus*) Pall. *dolis ignarus:* an struxit fortasse noster adiectivum illud sexto cum casu, quomodo *nescius* et *scius* reperiuntur structa? — *Ardarich*) Ed. Par. *Ardaricus*, quod correctoris videtur: nam in barbaris nominibus Iordanis terminationem saepe variat, modo barbaricam retinens, modo latine exprimens in uno etiam eodemque capite ut videmus vl. c. 14. — *pugnaturis*) Sic pro vulg. *pugnatori-*

Sed solus Attila rex omnium regum super omnes et pro omnibus sollicitus erat. Fit ergo de loci, quem diximus, opportunitate certamen. Attila suos dirigit, qui cacumen montis invaderent, sed a Thorismundo et Aetio praevenitur, qui eluctati, collis excelsa ut conscenderent, superiores effecti sunt, venientesque Hunnos montis beneficio facile turbavere.

XXXIX. Tunc Attila, quum videret exercitum causa praecedente turbatum, eum tali ex tempore credit alloquio confirmandum. „Post victorias tantarum gentium, post orbem sic constitutis edomitum, ineptum iudicaverim tamquam ignaros rei verbis acuere. Quaerat hoc aut novus ductor, aut inexpertus exercitus. Nec mihi fas est aliquid vulgare dicere, nec vos oportet audire. Quid autem aliud vos quam bellare consueti? aut quid viro forti suavius, quam vindictam manu quaerere? Magnum munus a natura animum ultione satiare. Aggrediamur ergo hostem alacres! Audaciores sunt semper, qui inferunt bellum. Adunatas despicite dissonas gen-

---

bus Pall. cum Ambr. *pugnaturus* ed. Par. — *sed solus*) Coniunctio *sed* ab ed. Grut. abest. — *praevenitur*) Ita pro vulg. *praeventus est* ed. Grut. — *turbavere*) Mallem *deturbavere*, quomodo c. 40 med.

Cap. XXXIX. *Causa praecedente*) Mallem *casu*. — *sic constitutis*) Ita edd. ante Vulcanium, qui lectionem *si constatis* primus in textum intulit e Mg. Par. sequentibus, qui post edidere Iordanem. Fuit, quum coniicerem *si* vel *sic constitutum dis*, existimans librarium duas voces eo magis in unam contraxisse, quod *constitutum* compendiose scriptum *costitutu* invenisset: nunc vero ἐπέχω, simili dictione reperta apud Cassiodor. Var. I, 17 ext. *sic vobis tutissime constitutis hostis — fata patietur perditoris*. In Epitome, quae integram sistit Attilae concionem, illa tamen verba non leguntur, offenso iis, ut videtur, auctore eius. — *tanquam ignaros rei*) Epit. *rerum*. — *nec vos oportet*) Haec lectio a Vulcanio est; firmat eam Epit. *nec vobis oportet* edd. antiquiores. — *vos—consueti*) Ambr. *vobis quam bellare consuetum est*. — *quid viro forti suavius*) Vocem *viro*, quae in edd. non visitur, inserunt Pall. Ambr. Epit. — *animum satiare)* Ed. Par. et Epit. *animos*.

tes! Indicium pavoris est societate defendi. En ante impetum nostrum terroribus iam feruntur, excelsa quaerunt, tumulos capiunt et sera poenitudine in campis munitiones efflagitant. Nota vobis sunt, quam sint levia, Romanorum arma: primo etiam non dico vulnere, sed ipso pulvere gravantur, dum in ordine coeunt et acies testudinesque connectunt. Vos confligite perstantibus animis, ut soletis, despicientesque eorum acies, Alanos invadite, in Vesegothas incumbite! Inde nobis est citam victoriam quaerere, unde se continet bellum. Abscisis autem nervis mox membra relabuntur, nec potest stare corpus, cui ossa subtraxeris. Consurgant animi, furor solitus intumescat! Nunc consilia Hunni, nunc arma depromite! Aut vulneratus quis adversarii mortem reposcat, aut illaesus hostium clade satietur! Victuros nulla tela convenient, morituros et in otio fata praecipitant. Postremo cur fortuna Hunnos tot gentium vic-

---

— *ante impetum nostrum*) Sic Pall. cum Epit. *ante impetum* vulgo. — *munitiones efflagitant*) Epit. *inimicos.* — *Nota vobis sunt*) Sic Pall. *notum est vobis* Mg. Par. *nota nobis sunt* vulgo. — *sed ipso pulvere gravantur, dum in ordine — testudinesque connectunt. Vos* cet.) Sic distinguendum et legendum: lectionem *in ordine* suppeditant Pall. Ambr. Epit. iidem Pall. *testudinesque*, pro quo *custodiamque* Epit. praefert. Vulgo distinguitur et legitur *sed ipso pulvere gravantur. Dum inordinate coeunt testudinemque connectunt, vos confligite* cet. — *confligite*) Ed. Lindenbr. *configite.* — *perstantibus animis*) Sic Pall. pro vulg. *praestantibus animis.* — *Abscisis — nervis*) Ita Pall. et ed. Lindenbr. eandem structuram exhibent Ambr. et Epit. sed *abcissis* praeferunt, quod minus probem; v. *abscisa autem nervis.* — *relabuntur*) Ambr. *dilabuntur.* — *nec potest*) Epit. *non potest.* — *reposcat*) Sic pro vulg. *deposcat* Pall. — *victuros—convenient*) Sic vulgo legitur, sed unus Pall. *victuris* exhibet ab emendatore calamo, quomodo et Ambr. alter Pal. *victurus*; iidem *convenient* pro *conveniunt* praeferunt. Potest quidem et e lectione vulgata et unius Pall. Ambrosianique qualiscunque extorqueri sensus, mihi tamen in verbo *convenient* menda videtur inesse legendumque, e mente certe auctoris, *conficient* vel

tores assereret, nisi ad certaminis huius gaudia praeparasset? Quis denique Maeotidarum iter aperuit, maioribus nostris tot seculis clausum secretum? Quis adhuc inermibus cedere faciebat armatos? Faciem Hunnorum non poterit ferre adunata collectio. Non fallor eventu, hic campus est, quem nobis tot prospera promiserunt. Primus in hostes tela coniiciam. Si quis potuerit Attila pugnante otium ferre, sepultus est.“ His verbis accensi, in pugnam cuncti praecipitantur.

XL. Et quamvis haberent res ipsae formidinem, praesentia tamen regis cunctationem haerentibus auferebat. Manus manibus congrediuntur; bellum atrox, multiplex, immane, pertinax, cui simile nulla usquam narrat antiquitas, ubi talia gesta referuntur, ut nihil esset, quod

---

conficiunt. — *assereret*) Ambr. *asseret.* — *iter aperuit maioribus nostris*) *Aperuit* pro *aperiret* exhibent Ambr. et Epit. sed ille corrupte reliqua *inter maiores nostros* pro *iter maioribus nostris.* — *clausum secretum*) Sic Ambr. et ed. pr. sed haec ita, ut comma inter utrumque vocem intercedat, quod minime probandum, quum *secretum* pro substantivo sit accipiendum. Lectio vulg. *clausum ac secretum* a Rhenano est. — *cedere*) Haec lectio ed. Par. debetur: nam in prioribus *condere* legitur. — *Non fallor—campus est*) Ambr. *nisi fallor*, sed retenta lectione vulgata gravior est ponderosiorque oratio. Multum a vulg. recedit lectio Epit. *non falsorum eventuum hic campus est.* — *campus est—coniiciam*) Epit. *campus est*, *quem nobis tot prospera promiserunt pronius in hostem tela coniecta.* — *otium ferre*) Epit. ridicule *orcum facere.*

Cap. XL. *Manus manibus congrediuntur*) Recepimus hanc lectionem pro vulg. *manu manibus* e Mg. edd. Leuncl. et Par. et ita legendum esse, coniecit etiam Vulcanius. Similiter Curtius III, 2, 13. *arma arma conserta*; Ammianus XVI, 12. *dextrae dextris miscebantur:* plura huius generis congesserunt Raderus et Freinshemius ad Curt. III, 11, 4. Drakenborch. ad Sil. It. IV, 355. Klotz. ad Tyrt. p. 59. et Ernest. Glossar. Ammian. v. *arma.* — *ut nihil—aspectu*) Sic non posse stare locum, nemo non videt. Satis quidem video, quid velit Iordanis, mentem tamen eius, quae nunc leguntur verba, minime exprimunt. A libris nullum auxilium: neque comparet in iis tum scriptis tum excusis ulla, quae ad veram ducere possit, lectionis varietas.

in vita sua conspicere potuisset egregius, qui huius miraculi privaretur aspectu. Nam si senioribus credere fas est, rivulus memorati campi humili ripa praelabens, peremptorum vulneribus sanguine multo provectus, non auctus imbribus, ut solebat, sed liquore concitatus insolito, torrens factus est cruoris augmento. Et quos illic

---

Neque magis, qui exscripserunt nostrum, quidquam iuvant, ut qui offensi corrupta iam olim lectione locum, ut solent in depravatis, praetermisere, excepto uno Roderico, qui tamen et ipse vitiato, ut videtur, libro usus, vitiosam exhibet lectionem, *ut nihil esset, quod in vita sua conspici* (al. conspicere) *potuisset egregius, qui huius spectaculi non fuisset contemplator.* Igitur ut medela afferatur loco, confugiendum ad coniectandum. Et levissima quidem mutatione quodam iuvari possit modo, si *egregium* legas, quanquam ita satis ieiuna exsistit sententia. Interim non sollicitanda vox *egregius*, sed retinenda, ita tamen, ut pro comparativo accipiatur, qua significatione, rarissime quamquam, legitur cum apud Lucret. IV, 468. et Iuvenal. Sat. XI, 12. tum apud Cassiodor. Lib. de Anim. c. 19. (c. 12. ed. Garet.) *inter opera rerum — nihil egregius probatur existere quam substantiae spirituales.* Intacta itaque voce illa mendum alibi quaerendum, et si quid video, aut negativa inserta legendum *non privaretur*, aut huic verbo aliud substituendum, quod eandem, quam coniectura modo proposita, conficiat sententiam, quod *participaretur* esse mihi videtur. Commodam certe planamque utramlibet harum coniecturarum amplexus fueris, habebis sententiam. — *rivulus — praelabens*) Haec est lectio ed. pr. quam in *prolabens* mutavit Rhenanus, sequentibus reliquis editoribus. Significat autem verbum *praelabi* idem interdum, quod *praeterlabi*, ut Solin. c. 37, 2. *Euphrates — praelabens plurimas gentes:* quamquam si sincera est lectio restituta a me, *humilem ripam* mallem legere. Alio tamen ducit Epit. in qua legitur, *qui* (rivulus) *humili ripa campum perlabitur*, cuius lectionem si sequamur, legendum *memoratum campum humili ripa perlabens,* nisi fortasse Iordanis ipse scripsit *humili ripa labens* et lectiones *praelabens* et *perlabens* originem suam librariis debent, qui geminatam per oscitationem praegressae vocis syllabam ultimam *pa* pro praepositione compendiose scripta accipientes alterutram illarum vocum expresserunt. — *provectus*) Pall. *provectus est.* — *auctus*) Haec lectio, quam praeferunt Exc. quoque et Epit. recepta a Vulcanio e Mg. Par. in insequentes manavit edd. nam edd. pr. *actus* habent. Utrumque inter se saepe confundi verbum in membranis

coegit in aridam sitim vulnus inflictum, fluenta mixta clade traxerunt: ita constricti sorte miserabili sorbebant, potantes sanguinem, quem fudere sauciati. Hic Theodericus rex dum adhortans discurrit exercitum, equo depulsus pedibusque suorum conculcatus, vitam matura senectute conclusit. Alii vero dicunt eum interfectum telo Andagis de parte Ostrogotharum, qui tunc Attilanum sequebantur regimen. Hoc fuit, quod Attilae praesagio haruspices prius dixerant, quamquam ille de Aetio suspicaretur. Tunc Vesegothae dividentes se ab Alanis, invadunt Hunnorum catervas et paene Attilam trucidarent, nisi prius providus fugisset, et se suosque illico intra septa castrorum, quae plaustris vallata habebat, reclusisset; quamvis fragili munimine, eo tamen quaesierunt subsidium vitae, quibus paulo ante nullus poterat

---

antiquis, docebit Drakenborch. ad Sil. It. XVII, 490. Legitur confusa utraque vox supra quoque c. 10. — *clade*) Haec vox si est genuina, idem valere videtur nostro et hic et capite praecedenti, quod sanguis et cruor: mallem tamen *caede* legere utroque loco, qua voce significatur plus semel sanguis trucidando effusus, ut Liv. II, 64. ibique Gronov. et Tacit. Hist. III, 19. — *traxerunt*) Ambr. *detraxerant*. — *sorbebant*) Hanc lectionem revocavi ex ed. pr. pro vulg. *sordebant*, quod in ed. Rhen. primum comparet: firmant autem receptam Pall. et ed. Par. — *dum—discurrit*) Sic pro vulg. *discurreret* Pall. — *conculcatus*) Mg. Par. *proculcatus*. — *qui tunc Attilanum sequebantur regimen*) Ambr. *qui tunc Attilae sequebatur regimen*. — *trucidarent*) Ita restitui ex ed. pr. neque opus est correctione Rhenani *trucidassent*, quod in edd. posterioribus omnibus comparet. Eadem enim structura reperitur non solum apud nostrum aliis quoque locis ut supra c. 39. infra c. 50. R. S. c. 45. sed apud melioris notae auctores, ut Tacit. Hist. III, 81. *propellerent proculcarentque, nisi omisisset intempestivam sapientiam*. Exempla eius constructionis sat multa suppeditabunt Gruner. ad Aurel. Vict. Caes. c. 20, 11. Zumpt. Gramm. Lat. §. 525. Fabri. ad Liv. XXI, 5, 11. XXII, 22, 11. — *plaustris vallata*) Mg. Par. *palustris*. — *quamvis fragili munimine, eo tamen* cet.) Sic Pall. cum Exc. *enim fragili munimine eorum quaesierit subsidium vitae* Ambr. *reclusisset*.

muralis agger obsistere. Thorismund autem, regis Theoderici filius, qui cum Aetio collem anticipans, hostes de superiori loco deturbaverat, credens se ad agmina propria pervenire, nocte caeca ad hostium carpenta ignarus incurrit. Quem fortiter dimicantem quidam capite vulnerato equo deiecit, suorumque providentia liberatus, a proeliandi intentione desiit. Aetius vero similiter noctis confusione divisus, quum inter hostes medios vagaretur, trepidus, ne quid incidisset adversi Gothis, inquirens, tandemque ad socia castra perveniens, reliquum noctis scutorum defensione transegit. Postera die luce orta, quum cumulatos cadaveribus campos aspicerent, nec audere Hunnos erumpere, suam arbitrantur esse victoriam, scientesque Attilam non nisi magna clade confusum bello confugisse, quum tamen nil ageret vel prostratus abiectum, sed strepens armis tubis canebat, incussionemque minabantur, velut leo venabulis

---

Quamvis fragile munimentum, tamen cet. vulgo. — *muralis agger*) Ita primus exhibuit Vulcanius e Mg. Par. lectio *naturalis*, quae in prioribus comparet edd. orta est in ed. pr. vitio operarum (nam *muralis* legendum esse, monitum est in corrigendis). — *de superiori loco*) Praepositio in ed. Lindenbr. abest. — *deturbaverat*) Ita Pall. *perturbaverat* Mg. Par. *proturbaverat* vulgo. — *quidam capite vulnerato equo deiecit*) Rod. *quidam de equo deiecit capite vulneratum*. — *providentia*) Ambr. cum Rod. *prudentia*, quomodo voces *providentissimus* et *prudentissimus* confusae sunt inter se supra c. 33. — *ne quid — adversi Gothis, inquirens*) Ambr. *adversi, Gothos inquirit*, Mg. Par. *Wisegothos inquirit*. — *Postera die*) Ed. Par. *postrema die*. — *cumulatos — campos*) Sic Pall. sed vulg. *plenos*, quod non est nisi illius vocis interpretatio, quae e Mg. in orationis seriem irrepsit. — *confusum*) Ambr. *confossum*: quid si legas *contusum?* — *bello confugisse*) Haec lectio primum in ed. Leunclav. visitur indeque in reliquas est propagata: nam ed. pr. *bella* exhibet; Ambr. *bella fugere*, quod Rod. quoque et Aeneas Sylvius in suis reperisse videntur libris; quippe apud illum *certamina deviare* legitur, apud hunc *detrectare certamen*. — *vel — strepens*) Ambr. *velut prostratus aut abiectum se demonstrabat, sed strepens*. — *in-*

pressus, speluncae aditus obambulans, nec audet insurgere nec desinit fremitibus vicina terrere. Sic bellicosissimus rex victores suos turbabat inclusus. Conveniunt itaque Gothi Romanique, et quid agerent de superato Attila, deliberant. Placet eum obsidione fatigari, qui annonae copiam non habebat, quando ab ipsius sagittariis intra septa castrorum locatis crebris ictibus arceretur accessus. Fertur autem desperatis in rebus praedictum regem adhuc et in supremo magnanimem, equinis sellis construxisse pyram, seseque, si adversarii irrumperent, flammis iniicere voluisse, ne aut aliquis eius vulnere laetaretur, aut in potestatem hostium tantarum gentium dominus perveniret.

XLI. Verum inter has obsidionum moras Vesegothae regem, filii patrem requirunt, admirantes eius absentiam, dum felicitas fuerit subsecuta. Quumque diutius exploratum, ut viris fortibus mos est, inter densissima cadavera reperissent, cantibus honoratum

---

cussionemque minabatur) Exc. et Person. *incursionemque*, quod et Rod. in suo invenit, quum *minans incursus* legatur apud eum; Epit. *incensionemque*. — *qui habebat*) Pro *qui* malim *quia*, absorpta ultima vocis litera ab initiali sequentis. — *in supremo magnanimem*) Pall. *supremo*, Rod. *in supremo agmine*, ex qua lectione corrupta id saltim apparet, *magnanimem* reperisse in suo Rod. non *magnanimum*, quod praefert ed. Par. — *vulnere*) Hanc vocem concoquere non possum, quamquam pro damno et clade usurpari eam quandoque non sum nescius: mallem *funere* i. e. cadavere, ut sensus sit, ne quis laetatus corpus ipsius mortuum illuderet. Confundi autem saepe voces *vulnus* et *funus* in libris vidimus supra ad. c. 18. pluribusque docebit qui laudatur ad Sil. Ital. I, 399. a Drakenborch. Heinsius — *in potestatem hostium tantarum gentium dominus*) Sic Pall. Ambr. cum Histor. Misc. Rod. Exc. Epit. et edd. Grut. et Lindenbr. sed edd. ante Vulcan. *in potestatem tantorum hostium gentium dominus*: quod ferri queat: sed quis ferat lectionem ipsius Vulcanii *in potestatem hostium, tantorum hostium gentium dominus?*

Cap. XLI. *fuerit subsecuta*) Ed. Grut. *fuerat subsecuta*. — *can-*

inimicis spectantibus abstulerunt. Videres Gothorum globos dissonis vocibus confragosos adhuc inter bella furentia funeri reddidisse culturam. Fundebantur lacrimae, sed quae viris fortibus impendi solent. Nostra mors erat, sed Hunno teste gloriosa, unde hostium putaretur inclinata fore superbia, quando tanti regis efferri cadaver cum suis insignibus inspiciebant. At Gothi Theoderico adhuc iusta solventes, armis insonantibus regiam deferunt maiestatem, fortissimusque Thorismund bene gloriosus, ad manes carissimi patris, ut decebat filium, exsequias est prosecutus. Quod postquam peractum est, orbitatis dolore commotus et virtutis impetu, qua valebat, dum in reliquiis Hunnorum mortem patris vindicare contendit, Aetium patricium ac si seniorem prudentiaque maturum de hac parte consuluit, quid sibi esset in tempore faciendum. Ille vero metuens, ne Hunnis funditus interemptis a Gothis Romanum premeretur imperium, praebet hac suasione consilium, ut ad

---

tibus) Ambr. *honoribus*. — *nostra mors*) Ambr. *nam mors*. — *unde—superbia*) Mg. Par. *inde hostium inclinantem forte superbiam*. — *tanti regis efferri cadaver)* Ita Pall. *tanti*, quod vulgo deest, offert ed. quoque Par. sed tenet eadem, quod praeter Grut. edd. omnes, *efferre*. — *deferunt maiestatem*) Excidisse hic videtur aliquid, *filio* fortasse, quod vocabulum compendio scriptum facillime absorberi potuit a prima vocabuli *fortissimus* syllaba. — *bene gloriosus, ad manes*) Ambr. *bene gloriosus manens, carissimi*. — *in reliquiis*) Ita Pall. pro vulg. *inter reliquias*. — *prudentiaque maturum*) Ed. Grut. *prudentiaeque maturum*, quod nec ipsum spernendum, si in libris suis ita reperit Gruterus, neque operarum vitio ita in eius ed. est expressum. — *de hac parte*) Haec lectio mihi videtur vitiosa et paullum absum, quin Roderici lectionem *in articulo* amplectar, quae dictio sesquioris Latinitatis auctoribus idem valet quod statim: sic Claudianus Mam. de Stat. animae I, 1. p. 8. ed. Barth. *si auctoritatem in articulo reposcas*, *adiiciunt* (quo loco de ea dictione Barthius ad animadversiones suas ad Gulielmum Britonem relegat lectorem) et cod. Justin. compluribus locis. — *Hunnis—interemptis*) Ambr. *eversis*. — *a Gothis*) Ed. pr. *e Gothis*; correxit Rhenanus. — *Romanum—imperium*) Hanc lectionem reduxi ex ed.

sedes proprias remearet, regnumque, quod pater reliquerat, arriperet, ne germani eius opibus assumptis paternis Vesegotharum regnum pervaderent, graviterque dehinc cum suis et, quod peius est, miserabiliter pugnaret. Quo responso non ambigue, ut datum est, sed pro sua potius utilitate suscepto, relictis Hunnis redit ad Gallias. Sic humana fragilitas dum suspicionibus occurrit, magna plerumque rerum agendarum occasione intercipitur. In hoc enim famosissimo et fortissimarum gentium bello ab utrisque partibus centum sexaginta quinque millia caesa referuntur, exceptis quindecim millibus Gepida-

pr. sistit eam Epit. quoque; vulg. *Romanorum* primum in ed. Leuncl. legitur. — *ne germani—pervaderent*) Sic Epit. quoque, Histor. Misc. Freculph. Rod. sed Ambr. et Bonf. *ne germanus—invaderet.* — *opibus assumptis*) Sic pro vulg. *sumptis* Pall. cum Ambr. — *Vesegotharum regnum*) Vox prior ab Ambr. abest. — *miserabiliter*) Sic inde a Par. edd. omnes, sed priores *miseriter* tenent, quod nec ipsum est spernendum, quamquam rarius obvium. — *occurrit*) Mallem *incurrit*, quod verbum exhibet ed. pr. nisi quod *incurrerit* repraesentat: non enim *occurit suspicionibus* humana fragilitas ex mente nostri quidem auctoris, sed *incurrit.* Profecta videtur lectio vulg. a librario, qui cum tertio etiam casu strui nesciret *incurrere* verbum. — *magna—ntercipitur*) Haec est lectio vulg. inde ab ed. Par. nisi quod *plerumque* deest vulgo, quod addidi suadentibus Pall. Rod. ed. pr. At Pall. praeferunt *magna plerumque agenda rerum, occasione intercipit,* quam lectionem non magis probarim quam quod ed. pr. habet *magna plaerumque agendo, occasione rerum intercipit.* Retinuit quidem huius lectionem Rhenanus, sed ita ut *occasionem* pro *occasione* poneret: qua tamen correctione non magis iuvatur locus, quam Parisinae retenta lectione: *fragilitas* enim *humana* neque *occasionem intercipit*, neque *occasione intercipitur* sed *occasio* ipsa *intercipitur*, quare *occasio intercipitur* legerim, ac pro *magna* rectius fortasse quis legerit *magnarum.* — *centum sexaginta quinque millia*) Sic Ambr. Mg. Par. Freculph. Otto Frising. Gothofred. Viterb. Blond. Epit. Bonf. neque dissentit Histor. Misc. *CLXXX millia* exhibens: cui numero ubi subtraxeris XV illa Gepidarum et Francorum millia, restabunt CLXV millia. In Exc. tamen CLXX millia cecidisse leguntur, vulgo apud nostrum CLXII. — *exceptis quindecim millibus*) Ita pro vulg. *XC millibus*

rum et Francorum, qui ante congressionem publicam noctu sibi occurrentes mutuis concidere vulneribus, Francis pro Romanorum, Gepidis pro Hunnorum parte pugnantibus. Attila igitur discessione cognita Gothorum, quod de inopinatis colligi solet, inimicorum magis aestimans dolum, diutius se intra castra continuit. Sed ubi hostium absentiam sunt longa silentia consecuta, erigitur mens ad victoriam, gaudia praesumuntur, atque potentis regis animus in antiqua fata revertitur. Thorismund ergo patre mortuo in campis statim Catalaunicis, ubi et pugnaverat, regia maiestate subvectus, Tolosam ingreditur. Hic licet fratrum et fortium turba gauderet, ipse tamen sic sua initia moderatus est, ut nullius reperiret de regni successione certamen.

XLII. Attila vero nacta occasione de recessu Vesegotharum, et, quod saepe optaverat, cernens hostium

---

Pall. Ambr. Freculph. Rod. Otto Frising. Gothofred. Viterb. Epit. — *de inopinatis*) Reduxi hanc lectionem ex ed. pr. consentientibus Pall. Ambr. ed. Par. primum in *inordinatis* corrupta legitur vox illa in ed. Rhen. ex qua in ceteras fluxit. — *inimicorum*) Ita Pall. *et inimicorum* vulgo. — *intra castra*) Ambr. *claustra:* legendum fortasse *plaustra*, ut lectio *castra* non sit nisi huius vocis interpretatio. — *absentiam*) Sic Ambr. cum Epit. pro vulg. *absentia.* — *in antiqua fata*) Epit. *in antiqua facta;* quid, si legas in *antiquum fastum*, quod facile mutari potuit *in antiqua fata* vel *facta*, si compendio erat scriptum *in antiquu fastu.* — *Hic licet—fortium turba gauderet*) Aliquid occulti ulceris latere hic videtur, quod vel ex adversativa *tamen* cernitur, per quam *gaudere* verbum non potest stare. Movet insuper corruptionis suspicionem lectio Epitomes, *quanquam fratrum turba fortior esset.* Considerato autem accuratius loco suspicor legendum *licet fratrum et consortium turba tumeret;* quod postremum verbum usurpatur de iis, qui seditionem et turbas agitant; sic Plin. Panegyr. *tumentes populos non imperio magis quam ratione compescere* et Tacit. Hist. II, 32. *Galliae tumentes*, ubi v. interpp. — *nullius — certamen*) Epit. *nullum.*

Cap. XLII. *Attila—movit procinctum primaque aggressione* cet.)

solutionem per partes, mox iam securus ad oppressionem Romanorum movit procinctum, primaque aggressione Aquileiensem obsedit civitatem, quae est metropolis Venetiarum, in mucrone vel lingua Hadriatici posita sinus, cuius ab oriente muros Natissa amnis fluens a monte Piccis elambit. Ibique quum diu multoque tempore obsidens nihil penitus praevaleret, fortissimis intrinsecus Romanorum militibus resistentibus, exercitu iam murmurante et discedere cupiente, Attila deambulans circa muros, dum, utrum solveret castra an adhuc moraretur, deliberat, animadvertit candidas aves, id est ciconias, quae in fastigio domorum nidificant, de civitate foetus suos trahere atque contra morem per rura forinsecus comportare. Et ut hoc, sicut erat sagacissimus inquisitor, persensit, ad suos inquit: respicite aves futurarum rerum providas perituram relinquere civitatem, casurasque arces periculo imminente deserere. Non hoc vacuum, non hoc credatur incertum; rebus praesciis consuetudinem mutat ventura formido. Quid plura? Animus suorum rursus ad oppugnandum Aquileiam in-

---

Plura quam libri tum manu exarati tum editi sistit hic Epit. *Attila ergo sicut optarat, a Romanis segregatur, cernensque Vesegothas percussum daturos imperium, ad Italiam iter recipit ac per varias longasque vias Forum Iulii ingreditur, primaque aggressione* cet. quae haud scio an Iordanis sint, quum Aeneas Sylvius iis, quae Iordani debet, aliena admiscere non sit solitus. — *Aquileiensem—civitatem*) Ita primus dedit Rhenanus pro *Aquilegiensem*, quod in ed. pr. necnon in Epit. legitur. — *Natissa*) Bonfin. et Lindenbr. *Natiso*, de coniectura, ut videtur, uterque. — *a monte Piccis*) Sic Pall. *Pittis* Epit. *Picis* vulgo. — *nidificant*) Haec Rhenani est emendatio pro *aedificant*, quod in ed. pr. legitur: confirmant Historia Misc. Exc. Epit. — *persensit*) Ed. Par. *praesensit*. — *respicite*) Histor. Misc. et Exc. *adspicite;* non male: vulgatam tamen duxi retinendum; sic Cassiodor. Var. III, 21. de Roma: *ubi tanta moenium possit respici multitudo?* — *ventura formido*) Mallem *venturi formido*. — *Quid plura?*) Ita pro vulg. *quid*

flammatur. Qui machinis constructis omnibusque tormentorum generibus adhibitis, nec mora, invadunt civitatem, spoliant, dividunt, vastantque crudeliter, ita ut vix, eius vestigia ut appareant, reliquerint. Exhinc iam audaciores et necdum Romanorum sanguine satiati, per reliquas Venetum civitates Hunni bacchabantur. Mediolanum quoque, Liguriae metropolim et quondam regiam urbem, pari tenore devastant, necnon et Ticinum aequali sorte deiiciunt, vicinaque loca saevientes allidunt, demoliunturque paene totam Italiam. Quumque ad Romam animus fuisset eius attentus accedere, sui eum, ut Priscus refert historicus, removere, non urbi, cui inimici erant, consulentes, sed Alarici, quondam Vesegotharum regis, obiicientes exemplum, veriti regis sui fortunam, quia ille post fractam Romam diu non supervixerat, sed protinus rebus excessit humanis. Igitur dum eius animus ancipiti negotio inter ire et non ire fluctuaret, secumque deliberans tardaret, placida ei legatio a Roma advenit. Nam Leo papa per se ad eum accedit in agro

---

plus edd. Par. et Garet. — *spoliant*) Haec lectio a Leunclavio est; nam edd. pr. *spoliantur* exhibent. — *ut appareant*) Ambr. *ut apparet.* — *veriti regis sui fortunam*) Locus mendo laborat, quod haud scio an in voce *sui* vel *suis*, quod ed. Par. sistit, sit quaerendum, quae quid sibi velit, non video. Fuit quum coniicerem legendum *regis Visegotharum fortunam*, lectione *sui* vel *suis* ita orta, ut, quum nomen Visegotharum abbreviatum VI. aut VIS. esset scriptum, male repetita vocis antecedentis *s* litera illi VI. aut VIS. adhaeserit et hoc modo *sui* et *suis* factum sit. Id certe quod Vesegotharum regis nomen modo sit positum, statimque repetitum, non est, quod in auctore, qualis Iordanis est, offendere debeat, quum in optimis etiam scriptoribus eiusdem vocabuli vel in eadem enunciatione vel in confinio duarum repetitio non sit rara — *excessit*) Ambr. *excesserit.* — *placida*) Sic Pall. Ambr. Histor. Misc. Rod. pro vulg. *placita:* Utramque autem vocem saepissime turbarunt librarii ob vicinum sonum literarum *d* et *t*, ut docent, quos laudat Drakenborch. ad Sil. Ital. I, 11. — *in agro Venetum Ambuleio*) Ita Pall. Ambr. Mg. Par. Epit.

Venetum Ambuleio, ubi Mincius amnis commeantium frequentatione transitur. Qui mox deposuit excitatum furorem et rediens, qua venerat, id est, ultra Danubium, promissa pace discessit, illud prae omnibus denuncians atque interminando decernens, graviora se in Italiam illaturum, nisi ad se Honoriam, Valentiniani principis germanam, filiam Placidiae Augustae, cum portione sibi regalium opum debita mitterent. Ferebatur enim, quia haec Honoria, dum propter aulae decus ad castitatem teneretur nutu fratris inclusa, clandestino eunucho misso Attilam invitasset, ut contra fratris potentiam eius

---

in Acroventu Mamboleio vulgo. — *deposuit excitatum furorem*) Hanc lectionem ex edd. pr. reduxi, astipulantibus Pall. et Ambr. nisi quod hic *exercitatus* praefert. Vulg. *deposito exercitus furore* primum in ed. Vulcan. comparet, qui e Mg. Par. in contextum eam intulit. — *qua venerat*) Ambr. *quo venerat*. — *decernens*) Sic Ambr. cum ed. Grut. pro vulg. *discernens*. — *nisi mitterent*) Ita pro vulg. *mitteret* Ambr. et ed. Grut. synthesi seu synesi usitatissima Graecis Latinisque auctoribus; v. quos laudat van Staveren. ad Nep. Timoth. c. 2, 1. et Kritz. ad Sallust. Cat. c. 39, 3. — *ad castitatem*) Sic pro vulg. *ac castitatem* Ambr. et Epit. Et ita legendum esse, coniecit iam Lindenbrogius. Firmat autem lectionem a me receptam Iordanis ipse R. S. c. 97.; ubi de eadem Honoria *dum ad aulae decus virginitatem suam cogeretur custodire*. — *clandestino eunucho misso*) Pall. cum Ambr. *clam eunucho misso*: sed vulgatam retinere placuit, cum non videam, cur abiecta voce usitatiori rariorem posuerit librarius, nisi in exemplari suo deprehendit. — *invitasset—uteretur*) Plura quam libri tum scripti tum editi Epitome hic exhibet et haud scio an a nostri manu sint profecta: sunt autem haec: *Attilam invitarat, ut contra fratris potentiam se iuvaret matrimoniumque eius exposceret*, quae postrema verba vix possunt abesse, quippe quibus non indicetur modo, quare mitti sibi poposcerit Attila Honoriam, *cum portione sibi regalium opum debita*, sed etiam explicetur, quid illa *ut licentiam libidinis* cet. sibi velint. De matrimonio legisse etiam quid apud nostrum videtur auctor Historiae Misc. habet enim *eunuchum dirigit* (Honoria) *quatenus sibi eum a fratre in matrimonium extorqueret* necnon Rodericus, *Honoria* — inquit — *Attilam incitavit per clandestinum eunuchum, ut eam sibi*

patrociniis uteretur; prorsus indignum facinus, ut licentiam libidinis malo publico compararet.

XLIII. Reversus itaque Attila in sedes suas et quasi otii poenitens graviterque ferens a bello cessare, ad Orientis principem Marcianum legatos dirigit, provinciarum testans vastationem, quod sibi promissum a Theodosio quondam imperatore minime persolveret, et inhumanior solito suis hostibus appareret. Haec tamen agens, ut erat versutus et callidus, alibi minatus, alibi arma sua commovit, et, quod restabat indignationi, faciem in Vesegothas retorsit. Sed non eum, quem de Roma-

---

peteret in uxorem. — *prorsus indignum facinus*) Epit. *proh indignum facinus!* non male et Iordanis fortasse ipsius manus, dum imitatur Florum, qui talibus gaudet exclamationibus.

Cap. XLIII. *quod sibi promissum—persolveret*) Ambr. *nisi sibi promissum a Theodosio quondam imperatore munus solveretur*, prima quidem specie multo melius quam lectio vulgata: neque tamen recipio, quum non tam ab Iordane ipso, quam a correctore profecta videatur. Nam praeterquam quod libri et edd. consensu stant a vulgata, verba etiam Prisci, ex quo haec sunt versa, vastandarum magis causam provinciarum, quam conditionem aliquam exprimunt. Sunt autem haec: ὅτι ὁ Ἀττήλας — τοῖς κρατοῦσι τῶν ἑῴων Ῥωμαίων πόλεμον καὶ ἀνδραποδισμὸν τῆς χώρας κατήγγειλεν ὡς μὴ ἐκπεμφθέντος τοῦ παρὰ Θεοδοσίου τεταγμένου φόρου. Id tamen mutavi in vulg. ut *promissum* pro *promissa* Pall. secutus reciperem, repudiata voce *munus*, quod explicandi causa additum in Ambr. videtur. — *et inhumanior—appareret*) Lectio si est sana, hic insit verbis sensus, Marcianum ad stipendia pendenda Theodosio minus fuisse promptum paratumque etiam ad arma capienda: vereor tamen, ne quid mendi hic lateat videturque mihi pro *et* copula *ut* legendum, quomodo millies confunduntur inter se particulae illae a librariis (v. praeter alios Kritz. ad Vellei. II, 90, 1.), ita ut illa *inhumanior—appareret* ad Attilam sint referenda, non ad Marcianum. — *restabat*) Ambr. *testabat*. — *indignationi*) Ambr. *indignationis*. — *in Vesegothas*) Ita Pall. et Epit. cum edd. pr. et Par. vulg. *in Vesegothos*, quod a Rhenano est, qui infra quoque *Vesegothorum* pro *Vesegotharum* invita ed. pr. exhibuit: hic tamen Ambr. etiam *in Vesegothos* praefert. — *faciem—retorsit*) Pall. cum Ambr. *faciem—convertit*,

nis, reportavit eventum. Nam per dissimiles anterioribus vias recurrens, Alanorum partem trans flumen Ligeris considentem statuit suae redigere ditioni, quatenus mutata per ipsos belli facie terribilior immineret. Igitur ab Dacia et Pannonia provinciis, in quibus tunc Hunni cum diversis subditis nationibus insidebant, egrediens Attila, in Alanos movit procinctum. Sed Thorismund, rex Vesegotharum, fraudem Attilae non impari subtilitate persentiens, ad Alanos tota subtilitate prius advenit, ibique supervenientis iam Attilae motibus praeparatus occurrit, consertoque proelio paene simili eum tenore, ut prius in campis Catalaunicis, a spe removit victoriae, fugatumque a partibus suis sine triumpho remittens in

---

quae lectio mihi quidem minus videtur commoda: nam id ipsum quod *retorsit faciem in Vesegothas* i. e. quod iterum movit in eos, quanquam victus erat ab iis, fuit, quod indignationem moveret augeretque. — *immineret*) Sic Ambr. pro vulg. *emineret*. — *persentiens*) Ed. Par. *praesentiens*. — *tota subtilitate*) Vocem *subtilitate* etsi pro corrupta habeo, non tamen eius loco receperim lectionem *velocitate*, quam cum Epit. et ed. Par. suppeditat Ambr. Praeterquam enim quod, qui e *velocitate* potuerit fieri *subtilitate*, vix intelligitur, videtur mihi vox illa alterius cuiusdam interpretatio, qua quidem et ipsa velocitas significetur. Et est ea, si quid video, *subititas*: quod vocabulum ut insolentius repudiatum unus alterve librarius in usitatius mutavit; alii vicinitate vocis *subtilitate* inducti imprudentes eandem repetiverunt. *Subititas* autem vox, quanquam legere non memini, analogia tamen minime est destituta, sed formata ad eandem, ad quam vocabula *medietas*, *nimietas*, *dubietas*, *eximietas*, *solitas* et alia id genus, ut antiquiori aetati ignorata, ita scriptoribus labentis lapsaeque Latinitatis procusa usuque invecta. Quo insuper iure ex adiectivo *subitus* cudit *subitare* verbum Pontius Diaconus (Vit. Cyprian. *cum militibus suis princeps repente subitavit*) substantivumque *subitatio* S. Eulogius (Lib. 2. Memor. Sanctor. c. 10. *gaudensque multipliciter in subitatione insperatae salutis*) quidni eodem ex eadem illa voce confingeret et usurparet vocabulum *subititas* Iordanis? — *supervenientis iam Attilae*) Ita transposuit verba Rhenanus, cum ed. pr. *supervenientis Attilae*

sedes proprias fugere compulit. Sic Attila famosus et multarum victoriarum dominus, dum quaerit famam perditoris abiicere, et, quod prius a Vesegothis pertulerat, abolere, geminatam sustinuit ingloriusque recessit. Thorismund vero repulsis ab Alanis Hunnorum catervis sine aliqua suorum laesione Tolosam migravit, suorumque quieta pace composita tertio anno regni sui aegrotans, dum sanguinem tollit de vena, ab Ascalcruo cliente inimicos nunciante armis subtractis peremptus est. Una

---

iam exhiberet. — *multarum victoriarum dominus*) Vereor, ne mendum h. l. sit; durissima sane dictio *multarum victoriarum dominus*. Quid si quis ab uno alterove librario scriptam bis *dum* particulam pro voce *dominus* compendiose scripta habens, literas deficientes, ut putabat, supplevit? quod tum maxime potuit fieri, si absque substantivo, ex quo aptus esset genitivus *multarum victoriarum*, procedere non posse orationem putaret. Optime quidem Epit. *multarum victoriarum eventu tumidus*, sed Iordanis esse verba illa, non Aeneae Silvii quis spondeat? An legendum fortasse *multarum victoriarum tumidus*, ut cum genitivo structum sit adiectivum more Graecorum, cuius structurae exempla sat multa proferunt grammatici. — *famam perditoris*) Si sana est lectio, *perditor* h. l. est is, qui iacturam facit, ut apud Cassiod. Var. I, 17. *vobis tutissime constitutis hostis vester ante eventum certaminis fata patiatur perditoris:* suspecta tamen mihi est lectio idque ob vocem insequentem *geminatam*, quae caret, ad quod referatur, substantivo. Unde, nisi *geminatum* legere quis velit, *perditionis* scripsisse nostrum suspicor, quae vox nostro idem valet, quod alias iactura, damnum; v. cpp. 18. 37. — *ab Ascalcruo — subtractis*) Ita legitur praeter Grut. omnibus in edd. inde a pr. aliter tamen codd. sic praefert Pal. pr. *ab Ascale suo clienti inimico nuntiante arma subtracta* (secundum aliter habere, ait quidem Gruterus, quum vero eadem ex eo lectio, quam primus exhibet, repraesentetur in Gruteri notis, quin operis vitium fit commissum, non est dubium, quid vero ille praeferat, plane incertum) Ambr. autem *ab Ascalo suo cliente inimicus nuntiante arma subtracta:* pro *Ascalcruo* legitur insuper in Mg. Par. *Ascalihamo*, in Epit. *Astale suo cliente*, apud Bonf. *Asculo cliente*, ex quibus merito quis suspicetur, vocem *Ascalcruo* coaluisse e duabus, nomine proprio, quodcunque hoc est, et pronomine possessivo. Ex-

tamen manu, quam liberam habebat, scabellum tenens, sanguinis sui exstitit ultor, aliquantos insidiantes sibi exstinguens.

XLIV. Post cuius decessum Theodericus, germanus eius, Vesegotharum in regno succedens, mox Riciarium, Suavorum regem, cognatum suum, reperit inimicum. Hic etenim Riciarius affinitate Theoderici praesumens, universam paene Hispaniam sibi credidit occupandam, iudicans opportunum tempus surreptioni incomposita initia tentare regnantis. Quibus ante Gallicia et Lusitania sedes fuere, quae in dextro latere Hispaniae per ripam Oceani porriguntur, habentes ab oriente Austrogoniam, ab occidente in promontorio sacrum Scipionis,

---

hibet praeterea Gruterus in sua *ab Ascale suo cliente inimico, nuntiante armis subtractis*, legendum vero censet *ab Ascale suo cliente inimico, nunc iam ante armis subtractis*, quod non probandum. Ego quidem mallem *ab Ascale suo cliente inimicos nunciante armis subtractis.* — *scabellum tenens*) *Scalpellum tenens* coniicit legendum Vasaeus Hispan. Chron. ad a. 456. (in Hispan. Illustr. T. I. p. 665.) — *exstitit*) Sic pro vulg. *existit* Pall. Ambr. Epit.

Cap. XLIV. *Theodericus*) Pall. *Theodoridus* semper. — *Hic etenim Riciarius*) Sic Pall. et Ambr. *item* vulgo. — *affinitate — praesumens*) Sic Ambr. cum edd. pr. lectio vulg. *affinitatem praesumens* primum in ed. Leuncl. comparet: sed reiicienda est vel ob structuram. *Praesumere* enim cum quarto casu aut infinitivo structum idem valet posterioris aevi scriptoribus, quod audere v. Sulpic. Sev. H. S. I, 33. 47. ibique Vorst. Sext. Ruf. c. 7. cum sexto vero praepositione *de* addita aut omissa, plurimum confidere, ut cpp. 38. 49. 50. — *surreptioni*) Sic pro vulg. *surreptionis* Ambr. — *incomposita initia*) Hanc lectionem exhibet etiam ed. Par. a. 1579. et consentit Ambr. nisi quod *incomposito initio* praefert: sed edd. Par. ann. 1583. 1588. *composita* sistunt. — *Austrogoniam*) Pall. *Austronia*, Epit. *Austeroniam.* Quomodocunque legitur, videtur noster intelligere *Autrigonum* terram, quorum meminerunt Mela III, 1. Plin. H. N. III, 4. Flor. IV, 12, 47. Ptolem. II, 6, 7. 53. Chronic. Pasch. p. 78. et quos Orosius VI, 21. *Cantabris et Asturibus, Galleciae provinciae portioni*, finitimos perhibet, quare *Autrigoniam* legendum, nisi quis statuat, quae *Autrigonia* primum sit vocata, post *Austrogoniam*, *Austroniam*, *Astroniam* seu

Romani ducis, monumentum, a septentrione Oceanum, a meridie Lusitaniam et fluvium Tagum, qui arenis suis permiscens auri metalla, trahit cum limi vilitate divitias. Exinde ergo exiens Riciarius, rex Suavorum, nititur totam Hispaniam occupare. Cui Theodericus, cognatus suus, ut erat moderatus, legatos mittens, pacifice dixit, ut non solum recederet a finibus alienis, verum etiam nec tentare praesumeret, odium sibi tali ambitione acquirens. Ille vero animo praetumido ait: si hic murmuras, et me venire causaris, Tolosam, ubi tu sedes, veniam; ibi si vales, resiste. His auditis aegre tulit Theodericus, compacatusque cum ceteris gentibus, arma movit in Suavos, Burgundionum quoque Gnudiuchum et Hilpericum reges auxiliares habens sibique devotos. Ventum est ad certamen iuxta flumen Urbicum, quod

---

Austrigoniam (Geograph. Rav. IV, 42.) nominatam esse. — *a meridie —Tagum*) Lusitaniam cum Gallicia qui Lusitaniam a meridie habere possit, quum non videam, hoc nomen corruptum esse iudico aliudque ei substituendum. Quid si legas *Olissiponem*, ut apud Solin. c. 23, 6. 7. vel potius *Olysiponam*, quomodo Ravennas IV, 43. nomen effert? Quod nomen inauditum librariis quum neque pronunciatione, neque literis a Lusitaniae nomine valde differat, pro corrupto habitum in notum magis est mutatum. Iuvat quodammodo hanc coniecturam iniecta *Tagi* mentio, cuius nomen cum Olisiponis iunctum legitur apud alios quoque ut Mel. III, 1. Plin. H. N. l. l. et VIII, 67. Solin. l. l. et Ptolem. II. 5, 4. — *aegre tulit*) Ambr. *hoc retulit.* — *Burgundionum—reges*) Pall. *Burgundzonum* (de qua nominis forma v. supra ad c. 17.), Mg. Par. *Burgudionum.* — *Gnudiuchum*) Sic Pall. sed Ambr. *Gnuncdiuchium*, Epit. *Gundichum*, Bonf. *Gundicum;* v. *Gnudiacum.* Non videtur tamen in lectione Pall. acquiescendum, sed transposita una tantum litera *Gundiuchum* legendum vel, ut Hadr. Valesio de Reb. Francic. p. 138. placet, *Gundiucum*, ad quas formas ducunt etiam *Gundivicus* seu *Gundeuchus* Gregorii Tur. II, 28. *Gunduicus* Hilarii Pap. epist. 10. *Gundiochus* Fredegar. c. 17. et *Gundeveus* Gest. Francor. c. 9. — *Hilpericum*) Epit. *Hilperichum*, ed. Lindenbr. *Hispericum.* — *iuxta—Urbicum*) Ita dedi, Rodericum secutus: Pall. cum Ambr. *Ul-*

intra Asturiam Hiberiamque praetermeat; consertoque proelio Theodericus cum Vesegothis, qui ex iusta parte pugnabant, victor efficitur, Suavorum gentem paene cunctam usque ad internecionem prosternens. Quorum rex Riciarius relicto infesto hoste fugiens, in navim conscendit, adversaque procella Tyrrheni ostii repercussus, Vesego-

---

bium exhibent et Epitome cum edd. *Urbium.* Sed unice vera et genuina videtur lectio a me recepta, cum non modo ita efferant fluvii nomen Idatius, Isidorus et Victor Tunn. in Appendice, *O* quanquam interdum pro *U* posito, sed hodie etiam *Orvigo* seu *Obrego* fluvius ille nominetur. — *inter Asturicam*) Ambr. et Bonf. *Asturiam*; male, si urbem, non provinciam intellexit Iordanis. *Asturica* enim nominatur illa veteribus Plin. H. N. III, 4, et Ptolemaeo II, 6, 36. — *Hiberiamque*) Hoc nomen omnes licet et scripti et impressi sistant libri, hic tamen, si *Asturica* est vera lectio, non potest locum habere. Hispaniam quidem et ipsam Iberiam fuisse appellatam, neminem fugit; at quis ita tandem loquitur: Urbicus (Hispaniae flumen) *inter Asturicam et Hiberiam* i. e. Hispaniam *praetermeat?* Fuit et *Ibera* urbs ab Iberi fl. ostio non multum distans, at haec quanto remota est ea ab Urbico et Asturica intervallo? Accommodate, quod ad rem, *Legionem* pro *Hiberia* exhibet Rodericus: at utriusque nominis ductus literarum quum nimis discrepent, quam ut e *Legione Hiberia* sive *Iberia* potuerit fieri, vereor, ne Iordanis ipse errorem commiserit, Rodericusque non tam *Legionem* in libro suo repererit, quam nostrum rei convenienter ut homo Hispanus correxerit. Haec hactenus, si *Asturicam* scripsit Iordanis: at si lectio *Asturiam* ab eo profecta est, res aliter se habet. Tum Iberia sensu strictori eoque antiquiori est capienda, quo ea tantum Hispaniae regio, quae Ibero fl. proxima esset, *Iberia* dicta est. Ita etiamsi erroris absolutus sit Iordanis, confitendum tamen candide, incommodius vix exprimi potuisse loca, per quae fertur Urbicus. — *pugnabant*) Ita pro vulg. *pugnabat* Ambr. — *gentem paene cunctam*) Sic Pall. Epit. ed. Par. nisi quod haec *totam* pro *cunctam* sistit; *gentes paene cunctas* vulgo. — *relicto infesto hoste fugiens*) Sic Ambr. cum Mg. Par. nec non Pall. nisi quod *relicta infesta*; v. *relicta infecta victoria hostem fugiens.* — *in navim conscendit*) Ambr. *navem conscendit* et Epit. *navim.* — *Tyrrheni ostii*) Si lectio est sana, multum dissentit a nostro Idatius, qui *Rechiarium* ait *ad locum, qui Portucale appelletur, profugum regi Theoderico captivum adductum esse.*

tharum manibus est redditus. Miserabilis non differt mortem, cum elementa mutaverit. Theodericus vero victor exsistens, subactis pepercit, nec ultra certamine saevire permisit, praeponens Suavis, quos subiecerat, clientem proprium, nomine Agrivulfum. Qui in brevi animum praevaricatione ex Suavorum suasionibus commutans, neglexit imperata complere, potius tyrannica elatione superbiens, credensque se ea virtute provinciam obtinere, qua dudum cum domino suo eam subiecisset. Vir siquidem erat Varnorum stirpe genitus, longe a Gothici sanguinis nobilitate seiunctus, idcirco nec libertati studens, nec patrono fidem servans. Quo comperto Theodericus mox contra eum, qui eum de regno pervaso deiicerent, destinavit. Qui venientes, sine mora in primo eum certamine superantes, congruam factorum eius ab

---

Valde tamen vereor, ne vocabulum *Tyrrheni* seu, ut in ed. pr. legitur, *Tirreni* corruptum sit apud Iordanem videturque mihi latere in eo *Durii* fl. nomen: quod quum non concoqueret librariorum unus alterve, cui Tyrrhenum nomen notius esset, temere mutavit quod non intelligebat, ita ut, quod ad Durii fl. ostium accidit, tanquam ad ostium maris Tyrrheni sive ad fretum Gaditanum factum esse narretur. Itaque, si coniectura me non fallit, uterque optime inter se convenit auctor. Nam Portucale castrum, quomodo appellatur locus ab Idatio a. 3. Maioriani, ad Durii ostium erat situm; v. Mannert. T. I. p. 345 sq. — *est manibus redditus. Miserabilis non differt mortem*) Sic distinguendum et legendum iubentibus Pall. eandem Ambr. praefert lectionem, nisi quod *enim* pro *non* exhibet: haud scio tamen, an *at* particula ante vocem *miserabilis* sit inserenda, hausta olim ab initiali huius vocis. Vulgo legitur *est manibus redditus*, *miserabilem non differens mortem.* — *cum — mutaverit*) Ambr. *dum — mutaverit.* — *certamine*) Sic pro vulg. *certamina* Pall. cum Ambr. — *clientem proprium*) Vocem posteriorem, quae in plerisque abest edd. suppeditant Pall. Ambr. ed. Par. Rod. Epit. — *nomine Agrivulfum*) Sic Pall. cum Ambr. *Aliulphum* Rod. *Aguilphum* Epit. cum Bonf. *Acliulfum* ed. pr. *Athivulfum* ed. Par. *Athiulfum* vulgo, immutato a Vulcanio nomine. — *praevaricatione*) Sic Pall. pro vulg. *ad praevaricationem.* — *Vir*

eo exegerunt ultionem. Captus namque et suorum solatio destitutus, capite plectitur, sensitque tandem iratum, qui propitium dominum crediderat contemnendum. Tunc Suavi rectoris sui interitum contuentes, locorum sacerdotes ad Theodericum supplices direxerunt. Quos ille pontificali reverentia suscipiens, non solum impunitatem Suavorum indulsit, sed et, ut sibi de suo genere principem constituerent, flexus pietate concessit. Quod et factum est, et Rimismundum sibi Suavi regulum ordinaverunt. His peractis paceque cunctis munitis tertiodecimo regni sui anno Theodericus occubuit.

XLV. Cui fratrer Euricus praecupida festinatione succedens, saeva suspicione pulsatus est. Nam dum haec circa Vesegotharum gentem et alia nonnulla geruntur, Valentinianus imperator dolo Maximi occisus est, et ipse Maximus tyrannico more regnum invasit. Quod audiens Gizericus, rex Vandalorum, ab Africa armata classe in Italiam venit, Romamque ingressus cuncta devastat. Maximus vero fugiens a quodam Urso, milite Romano, interemptus est. Post quem iussu Mar-

---

—*erat*) Ita Pall. pro vulg. *is—erat*. — *Rimismundum*) Sic Pall. sed Epit. *Resmundum*; v. *Remismundum*, quomodo ab Idatio quoque appellatur et Isidoro, cui tamen et *Rechimundus* est idem.

Cap. XLV. *praecupida festinatione*) Sic pro *percupida* Pall. — *saeva suspicione*) Pall. *sceva*, *a* litera in duas *c* et *e* imprudenter distracta, nisi mavis librarium pronunciationem suae aetatis, quae *scaevus*, *scaevire* pro *saevus*, *saevire* efferret, esse secutum. Possis amen vocabulum *scevus* sive *scaevus* eadem accipere significatione, qua *sinister* usurpatur interdum, ut valeat idem, quod adversus, contrarius, de quo vocabuli usu v. Juret. ad Symmach. I, 25. et Coler. ad Sidon. Apoll. L. II. ep. 9. — *saeva — pulsatus est*) Plura quam libri, exhibent hic Epit. et Bonf. et illa quidem *saeva suspicione pulsatus est fratris veneno absumpti*, hic vero, *veneni suspicione non caruit*. Vocem autem *venenum* repererintne in libris suis Aeneas Sylvius et Bonfinius an addiderint de suo, quis diiudicaverit? — *circa Vesegotharum gentem*) Ambr. *Gothorum*. — *iussu Marciani*) Edd. pr. et Par. *Mar-*

ciani imperatoris orientalis Maiorianus occidentale suscipit imperium gubernandum. Sed et ipse non diu regnans, dum contra Alanos, qui Gallias infestabant, movisset procinctum, Dertona iuxta fluvium Ira cognomento occiditur. Cuius locum Severus invasit, qui tertio anno imperii sui Romae obiit. Quod cernens Leo imperator, qui in orientali regno Marciano successerat, Anthemium patricium suum ordinans Romae principem destinavit. Qui veniens illico Ricimerem generum suum contra Alanos direxit, virum egregium et paene tunc in Italia ad exercitum singularem. Qui multitudinem Alanorum et regem eorum Beorgum in primo statim certamine superatos ad internecionem prostravit. Euricus ergo, Vesegotharum rex, crebram mutationem Romanorum principum cernens, Gallias suo iure nisus est occupare. Quod comperiens Anthemius imperator protinus solatia Britonum postulavit. Quorum rex Riothimus

---

ciniani exhibent: correxit iam Vulcanius e Mg. Leuncl. astipulantibus Ambr. et Epit. — *orientalis*) Ambr. *Orientis*. — *Maiorianus*) Restitui hanc lectionem ex edd. pr. et Par. consentiunt Pall. nisi quod *Maiurianus* praeferunt. Vulgatam *Maioranus* primus dedit Vulcanius e Mg. Leuncl. — *dum contra Alanos—procinctum*) Mallem *cum*: nam redeuntem e Gallia occisum esse Marcianum, tradit Idatius ad a. 461. — *Dertona*) Ed. pr. *Idergona*, sed in erratis *al. Dertona* legitur, quod in *Dertonae* mutavit Rhenanus, praeter necessitatem; v. annot. ad c. 15. — *Ira cognomento*) Pall. *Hyra*, Mg. Par. *Hira*, Epit. *Hyrancus*. Vocem *cognomento* Pall. ignorant, retinui tamen quia exprimit h. l. noster Marcellinum Com. apud quem legitur ad a. 461. *Maiorianus—iuxta fluvium, qui Hyra dicitur, interemptus est*. — *destinavit*) Ita pro vulg. *ordinavit* Ambr. cum ed. Par. et Freculph. — *ad exercitum*) Ed. pr. *exercitium*; emendavit Rhenanus. — *Beorgum*) Sic Pall. Freculph. Epit. eodem redit quod vulgo legitur *Beurgum*, syllabis *eo* et *eu* frequenter inter se commutatis. — *superatos*) Ambr. *superans*. — *ad internecionem*) Sic Ambr. cum Epit. pro vulg. *internecione* quod a Vulcanio est: nam edd. pr. *internecioni* praeferunt. — *solatia Britonum*) Ed. Grut. *Brittonum* et hic et infra. — *Riothimus*)

cum duodecim millibus veniens in Biturigas civitatem, Oceano e navibus egressus, susceptus est. Ad quos rex Vesegotharum Euricus innumerum ductans exercitum advenit, diuque pugnans Riothimum, Britonum regem, antequam Romani in eius societatem coniungerentur, effugavit. Qui ampla parte exercitus amissa cum quibus potuit fugiens, ad Burgundionum gentem vicinam, Romanis in eo tempore foederatam, advenit. Euricus vero, rex Vesegotharum, Arvernam Galliae civitatem occupavit Anthemio principe iam defuncto: qui cum Ricimere, genero suo, intestino bello saeviens, Romam trivisset, ipseque a genero peremptus regnum reliquit Olybrio. Quo tempore in Constantinopoli Aspar, primus patriciorum et Gothorum genere clarus, cum Ardabure et Patriciolo filiis, illo quidem olim patricio, hoc autem

Pall. hic *Riotimus* exhibent, infra vero *Riutimud*, Ambr. *Riutimund*, Freculph. *Rotimus*, Epit. *Riochimus*; Sidonio Apoll. L. III. ep. 9. *Riothamus* dicitur idem. — *in Biturigas*) Haec lectio Rhenano debetur; nam in ed. pr. *Veturgas* legitur, annotatum tamen in erratis, *Betoricas* legi alias; Ambr. *Bituricas* praefert, Mg. Par. *Veturiga*, Epit. *Bethuricas*. — *in—societatem*) Ita pro vulg. *in—societate* ed. Grut. — *effugavit*) Secutus Ambr. et Freculph. recepi hanc lectionem pro vulg. *superavit*. — *ad Burgundionum gentem*) Mg. Par. *Burgundronum*: an fuit fortasse *Burgundzonum*, ut supra c. 17. — *Arvernam—civitatem*) Ed. Par. *Avernam—civitatem*. — *Romam trivisset*) Ita Pall. Mg. Par. Freculph. Epit. v. *Romaniam*, quod historiae repugnat. Nam urbs ipsa, cum in ea pugnaretur et diriperetur pleraque eius pars, attrita est. Et in ipsa urbe pugnatum esse auctores sunt Cassiodorus Chron. ad a. 472. *Ricimer—Anthemium cum gravi clade civitatis afflixit* et Anonymus Cuspin. ad eund. a. *Bellum civile gestum est Romae inter Anthemium imp. et Ricimerem patricium* cf. eadem de re Histor. Misc. L. XV. Consentit cum iis Ioannes Ant. p. 617. his verbis πέντε-διόλου μῆνας ἐμφύλιος τῆς Ῥώμης ἐπεκράτει πόλεμος. — *Romam*) Modo dictum, *Romaniam* vulgo exhiberi: quid si pro illa voce literis diremtis et paullulum immutatis *Romam cum* legas, ut coniunctivus *trivisset* habeat, ex quo pendeat? pro *ipseque* mallem insuper *ipse*. — *a genero*) Ed. Par. *a genero suo*. — *a regno deiiciens in portu Romano*,

Caesare generoque Leonis principis appellato, spadonum ensibus in palatio vulneratus interiit. Et necdum Olybrio octavo mense in regnum ingresso obeunte Glycerius apud Ravennam plus praesumptione quam electione Caesar effectus est. Quem anno vix expleto Nepos, Marcellini quondam patricii sororis filius, a regno deiciens in ortu Romano, episcopum ordinavit. Tantas varietates mutationesque Euricus cernens, ut diximus superius, Arvernam occupat civitatem, ubi tunc Romanorum dux praeerat Ecdicius, nobilissimus senator et dudum Aviti imperatoris, qui ad paucos dies regnum invaserat, filius (nam hic ante Olybrium paucos dies tenens imperium, ultro recessit Placentiam, ibique episcopus est ordinatus). Huius ergo filius Ecdicius, diu certans cum Vesegothis nec valens antestare, relicta patria maximeque urbe

---

episcopum ordinavit) Ita distinguendum, non, ut vulgo, *a regno deiiciens, in portu Romano episcopum ordinavit.* Nam non portus Romani episcopus factus est Glycerius, quod e verbis nostri, si, ut vulgo, distincta exhibentur, colligere quis possit (fecit id Historiae Misc. auctor XV, 6.), sed Salonae, quod patet ex Evagrio II, 16. (ubi v. Vales.), Ioanne Ant. et nostro ipso cap. extr. et R. S. c. 101. imperio vero exutus est in portu Romano, ut liquet e Marcellino Com. ad a. 474. *Glycerius* — inquit — *imperio expulsus in Portu urbe, ex Caesare episcopus est ordinatus et obiit,* et ex Anonymo Vales. p. 551. ed. Ern. *Nepos patricius ad portum urbis Romae deposuit de imperio Glycerium et factus est episcopus.* Consentit Anonymus Cusp. cuius verba, etiamsi non sunt integra, ita tamen sunt concepta, ut quid sibi velint, videas: *Leone iuniore Augusto. His Cons..... de imperio Glycerius in portu urbis Romae. — Ecdicius)* Sic Pall. cum Ambr. nisi quod hic *Aecdicius* semper, necnon Freculph. transposita quanquam una literula *Cedicius:* vulgo et in Epit. truncata voce *Decius* legitur. *Ecdicium* vero fuisse viro nomen, cernitur ex Sidon. Apoll. L. II. ep. 1. L. III. ep. 3. et Gregor. Tur. II, 24. Plura de nomine eius suppeditabit Sirmondus ad Sidon. L. II. ep. 1. — *nam—ordinatus)* Uncis inclusi haec verba, quum orationis ordinem interrumpant. — *recessit)* Mallem *secessit*, quod verbum cum illo plus semel permutatum est apud nostrum, ut supra c. 18 et 27. — *antestare)* Ad hanc lectionem ducit etiam, quod Epitome exhibet, *arte stare*, sed Ambr. *resistere.* — *maximeque)* Epit. *maximaque.* —

Arvernate hosti, ad tutiora se loca collegit. Quod audiens Nepos imperator praecepit Ecdicio relictis Galliis ad se venire, in locum eius Oreste magistro militum ordinato. Qui Orestes suscepto exercitu et contra hostes egrediens a Roma Ravennam pervenit, ibique remoratus, Augustulum filium suum imperatorem efficit. Quo comperto Nepos fugit Dalmatias ibique deficit privatus regno, ubi iam Glycerius dudum imperator episcopatum Salonitanum habebat.

XLVI. Augustulo vero a patre Oreste in Ravenna imperatore ordinato non multum post Odoacer, Torcilingorum rex, habens secum Scyros, Herulos diversarumque gentium auxiliarios, Italiam occupavit et Oreste interfecto Augustulum filium eius de regno pulsum in Lucullano Campaniae castello exilii poena damnavit. Sic quoque Hesperium Romanae gentis imperium, quod

---

Ecdicio) Mg. Par. *et Decium.* — *Oreste*) Ambr. *Oroste* semper. — *fugit Dalmatias*) Haec est lectio ed. pr. Freculph. Epit. pro qua *in Dalmatias* exhibuit Rhenanus, quo tamen iure, videas ex annot. ad c. 7. — *privatus regno*) Sic dedit primus Rhenanus; nam in ed. pr. *privatus a regno* legitur.

Cap. XLVI. *Augustulo vero—ordinato non multum post* cet.) Sic distinguendum vel praeeunte Freculpho et a verbis *Augustulo vero* caput inchoandum, non, quemadmodum fecit Vulcanius, ut ab Odoacro caput ordiretur, ita, *habebat*, *Augustulo a patre Oreste in Ravenna imperatore ordinato. Non multum post Odoacer* cet. expulsa *vero* particula, quam libri et scripti et impressi priores omnes tenent. — *Odoacer*) Sic Pall. tam hic quam R. S. c. 103. etiam Freculph. et Epit. efferunt ita viri nomen, Ennodius quoque Vit. Epiphan. compluribus locis et Cassiodorus Var. II, 16. IV, 38. ed. Garet. Neque tamen desunt, qui a vulg. *Odovacer* stent, ut idem Cassiodorus Chron. ad ann. 476. 481. 487. 489. 490. 491. 493. — *Torcilingorum rex*) Ita Pall. cum Freculph. item noster R. S. c. 103. illic tamen *t* aspirato nomen repraesentatur; vulgata *Turcilingorum* a Rhenano est; nam ed. pr. *Turciligorum* exhibet. — *in Lucullano—castello*) Ita primus dedit Leunclavius; nam edd. pr. *Luculano* exhibent. — *Sic quoque*) Mallem

septingentesimo nono urbis conditae anno primus Augustorum, Octavianus Augustus, tenere coepit, cum hoc Augustulo periit anno decessorum praedecessorumque regni quingentesimo vigesimo secundo, Gothorum dehinc regibus Romam Italiamque tenentibus. Interea Odoacer, rex gentium, omni Italia subiugata, ut terrorem suum Romanis indicaret, mox initio regni sui Brachilam comitem apud Ravennam occidit, regnoque suo confortato paene per tredecim annos usque ad Theoderici praesentiam, de quo in subsequentibus dicturi sumus, obtinuit.

XLVII. Interim tamen ad eum ordinem, unde digressi sumus, redeamus (XLVII), et quomodo Euricus, rex Vesegotharum, Romani regni vacillationem cernens, Arelatum et Massiliam propriae subdidit ditioni. Gizericus etenim, Vandalorum rex, suis eum muneribus ad ista commit-

---

sicque, quomodo legitur apud nostrum R. S. c. 103. ubi idem iisdem prope verbis narratur. — *praedecessorumque*) Hanc lectionem primus dedit Rhenanus; confirmat eam Epit. In ed. pr. *praedecessorumve* legitur, quod et Freculph. exhibet. — *omni — subiugata*) Ed. Par. *omnem Italiam adeo subiugavit.* — *indicaret*) Pall. cum Ambr. *indiceret*: neutra placet lectio; mallem *iniiceret*, quod quum *iniceret* ex more scriptum reperisset unus alterve librarius, deesse opinans literam, *d.* inseruit. — *Brachilam*) Epit. *Bracilam*, quomodo expressum est nomen etiam apud Marcellin. Com. ad a. 477. ex quo hic noster hausit. — *per tredecim annos*) Hunc numerum, quem Ambr. et Epit. sistunt, vulgato *quatuordecim* iudicavi praeferendum. Etenim quum anno CCCCLXXVI. a Ch. n. rerum potitus sit Odoacer, anno vero CCCCLXXXIX Theodericus intrarit Italiam, ut narrant Cassiodorus et Marcellinus, tredecim non amplius conficiuntur anni ab inito ab Odoacro regno usque ad invasam a Theoderico Italiam.

Cap. XLVII. *Interim — redeamus et quomodo Euricus* cet.) Hoc quoque loco id sibi sumsit Vulcanius, ut resectis verbis *et quomodo* seiunctisque quae cohaererent inter se, et interposita interpunctione maiori, ita excudendum curaret *Interim — redeamus. Euricus rex* cet. a quibus verbis novum inchoat caput. Suo igitur iure Iordani restituimus quae ipsius sunt, tam ex edd. Vulcaniana antiquioribus

tenda illexit, quatenus ipse Leonis vel Zenonis insidias, quas contra eum direxerant, praecaveret, egitque, ut Orientale imperium Ostrogothae, Hesperium Vesegothae vastarent, ut in utraque republica hostibus decernentibus ipse in Africa quietus regnaret. Quod Euricus grato suscipiens animo, totas Hispanias Galliasque sibi iam iure proprio tenens, simul quoque et Burgundiones subegit, Arelatoque degens, decimo nono anno regni sui vita privatus est. Huic successit proprius filius Alaricus, qui nonus in numero àb illo Alarico magno regnum adeptus est Vesegotharum. Nam pari tenore, ut de Augustis superius diximus, et in Alaricis provenisse cognoscitur, et in eis saepe regna deficiunt, a quorum nominibus inchoarunt. Quo interim nos praetermisso, sicut promisimus, omnem Gothorum texamus originem.

XLVIII. Et quia, dum utraeque gentes, tam Ostrogothae quam etiam Vesegothae, in uno essent, ut valui, maiorum sequens dicta revolvi, divisosque Vesegothas

---

quam e Pall. — *decernentibus*) Ambr. *decertantibus*. — *Arelatoque*) Ed. Garet. *Arelateque*. — *de Augustis*) Ita pro vulg. *de Augustulo* Pall. — *et in eis—deficiunt*) Sic edd. antiquissimae et Epit. copulam eiecit primus Vulcanius neque restituerunt post editores. Scripsisse autem ita Iordanem, quomodo dedi, ut existimem tantum abest, ut legendum mihi videatur *ut—deficiant*, quae lectio optime convenit ei, quam exprimere voluit auctor, sententiae. — *inchoarunt)* Sic Pall. sed *inchoarent* Epit. quod ad eandem ducit lectionem; *inchoant* vulgo.

Cap. XLVIII. *Et quia* cet.) Ab his verbis caput duxi inchoandum, quia ordo ab eis orationis ad vocem *retinente* usque uno tenore continuatur, nulla interruptus distinctione maiori, in libris tum scriptis tum iis impressis, qui editione Vulcanii sunt antiquiores. Is hoc quoque loco quod toties commisit, ut temere in aliena grassaretur, ita ut posita post verbum *exponere* distinctione maiori eiectisque vocibus *quos constat*, quas cum constructione inde pendente et libri et antiquiores edd. praeferunt omnes, oratione recta pro obliqua inducta, totam immutaret verborum structuram. Idem id sibi insuper sumsit, ut pro activa forma *remorasse* deponentis verbi formam poneret

ab Ostrogothis ad liquidum sum prosecutus, necesse nobis est, iterum ad antiquas eorum Scythicas sedes redire, et Ostrogotharum genealogiam actusque pari tenore exponere: quos constat (XLVIII.) morte Hermanarici regis sui, decessione a Vesegothis divisos, Hunnorum subditos ditioni in eadem patria remorasse, Vinithario tamen Amalo principatus sui insignia retinente. Qui avi Vultuulfi virtutem imitatus, quamvis Hermanarici felicitate inferior, tamen moleste ferens Hunnorum imperio subiacere, paululum se subtrahebat ab illis, suamque dum nititur ostentare virtutem, in Antarum fines movit procinctum, eosque dum aggreditur, prima congressione superatur; deinde fortiter egit, regemque eorum Boz nomine cum filiis suis et septuaginta primatibus in exemplum terroris affixit, ut dedititiis metum cadavera pendentium geminarent. Sed cum tali libertate vix anni spatio imperasset,

---

invitis libris scriptis et antiquitus editis. — *morte*) Haec vox legitur in omnibus edd. Vulcan. antiquioribus; uncinis eam inclusit Leunclavius, habens eam, ut videtur, pro interpretatione vocabuli *decessione* (quod secus est: pertinet enim ad *divisos*, quapropter *secessione* malim legere), Vulcanius autem e textu eam expulit. — *remorasse*) Ambr. *remansisse*. — *Vultuulfi virtutem*) Sic effertur nomen supra c. 14. neque dubitavi hic ita restituere, cum in Peutingeri ed. *Vultulfi* in cod. legi sit annotatum: Pall. *Vituulfi* exhibent, Exc. *Vvitulfi*; v. *Ataulfi*. — *moleste ferens*) Edd. antiquiores *haec moleste referens* sistunt: Leunclavius uncinis inclusit *haec* et *ferens* pro *referens* proposuit legendum in Mg. suae: Vulcanius vero *haec* eiecit et *ferens* in textum inseruit. — *in Antarum fines*) Haec lectio primum conspicitur in var. lectionib. ed. pr. (nam textus *Antorum* sistit), indeque in ceteras fluxit: Ambr. *Átorum* exhibet, Epit. *Autorum*, Exc. cum Bonf. *Anctorum*: sed haud scio an *Antium* sit legendum ut R. S. c. 122. quum nominativus plur. *Antes* sit, ut apparet e cpp. 5. 23., non *Antae*. — *superatur*) Pall. *superatus*, quam lectionem recepit Gruterus. — *Boz*) Sic Pall. *Booz* Ambr. cum Exc. *Box* vulgo. — *septuaginta primatibus*) Exc. DCC *primatibus*. — *in exemplum*) Ita pro vulg. *in exemplo* Pall. cum Exc. et Epit. — *affixit*) Sic simpliciter Pall. cum Exc. sed Epit. *crucibus affixit* et vulgo *cruci*. — *metum*) Ed. pr. *metu*.

non est passus Balamber, rex Hunnorum, sed ascito ad se Gesimundo, Hunimundi magni filio, qui iuramenti sui et fidei memor cum ampla parte Gothorum Hunnorum imperio subiacebat, renovatoque cum eo foedere super Vinitharium duxit exercitum; diuque certantibus primo et secundo certamine Vinitharius vincit. Nec valet aliquis commemorare, quantam stragem de Hunnorum Vinitharius fecit exercitu. Tertio vero proelio subreptionis auxilio ad fluvium nomine Erac, dum uterque ad se venissent, Balamber sagitta missa caput Vinitharii saucians, interemit, neptemque eius Vadamercam sibi in coniugio copulans, iam omnem in pace Gothorum populum subactum possedit, ita tamen, ut genti Gothorum semper unus proprius regulus, quamvis Hunnorum consilio, imperaret. Et mox defuncto Vinithario rexit

---

— *Balamber*) Vulgaris haec est lectio inde ab ed. pr. a qua stat hoc quidem loco unus Pall. necnon Ambr. (nisi quod hic *Balaber* exhibet, omissa linea transversa) et Epit. sed alter Pall. *Balamer* hic repraesentat et infra uterque, quod recepit Gruterus. In Mg. ed. Par. 1579. *Balamir* legitur, sed edd. ann. 1583 et 1588. *Balamur*, in Exc. *Valamber*. — *ascito*) Mg. Par. *accersito*. — *Gesimundo*) Sic Pall. cum Ambr. sed Mg. Par. *Gesismundo*, ed. pr. et Epit. *Gisimundo*; v. *Sigismundo*, quae lectio, vitio operarum orta, in textu quidem ed. pr. comparet, sed in erratorum indice *Gisimundo* esse legendum monetur. Quod quum non animadvertisset Rhenanus, retinuit mendum, sequentibus ceteris. — *certantibus*) Pall. *certati*. — *Erac*) Haec est lectio vulg. quam retinui, auxilio aliunde destitutus. Gruterus et ipse retinuit, utrumque annotans Pall. *Eraedum* habere et incumbere voci *Eraedum* virgulam transversam. Ambr. exhibet *Aeredum utrique ad se venientes*, nihilo melius quam Pall. Nam *dum* syllaba annexa τῷ *Erac* sive *Aere* non pertinet ad nomen ipsum, sed nihil est aliud quam *dum* coniunctio, ex qua aptus est modus subiunctivus *venissent*. Quod quum non animadverteret qui Ambrosianum scripsit, in participium mutavit subiunctivum, ut procederet qualicunque modo oratio. In Epit. *Eraterat* legitur. — *Vadamercam*) Ita Pall. cum Ambr. *Vallamaricam* Mg. Par. *Valadamarcam* Epit. *Waladamarcam* vulgo. — *Vinithario*) Hic quoque ut supra c. 14. variatur in hoc nomine: in

eos Hunimundus, filius quondam regis potentissimi Hermanarici, acer in bello totiusque corporis pulchritudine pollens, qui post haec contra Suavorum gentem feliciter dimicavit. Eoque defuncto successit Thorismund, filius eius, flore iuventutis ornatus, qui secundo principatus sui anno contra Gepidas movit exercitum, magnaque de illis potitus victoria, casu equi dicitur interemptus. Quo defuncto sic eum luxere Ostrogothae, ut quadraginta per annos in eius loco rex alius non succederet, quatenus et illius memoriam semper haberent in ore, et tempus accederet, quo Valamir habitum repararet virilem, qui erat ex consobrino eius genitus Vandalario; quia filius eius, ut superius diximus, Beremud iam contempta Ostrogotharum gente propter Hunnorum dominium ad partes Hesperias Vesegotharum fuisset gentem secutus, de quo et ortus est Vetericus. Veterico quoque filius natus est Eutharicus, qui iunctus Amalasuenthae, filiae Theoderici, item Amalorum stirpem iam divisam coniunxit et genuit Athalaricum et Mathasuentam. Sed quia Athalaricus in annis puerilibus defunctus est, Mathasuenta Constantinopolim illata de secundo viro, id est Germano, fratruele Iustiniani imperatoris, genuit postumum filium, quem nominavit Germanum.

Pall. *Venethario* legitur, in Epit. *Unithario,* in edd. *Vvinithario*, quod retinendum duxi, sed *Vv* in *V* mutato. — *Hunimundus*) Exc. cum Epit. *Hunnimundus.* — *Thorismund*) Exc. *Thurismundus.* — *casu equi*) Posterior vox in Exc. non visitur. — *quadraginta per annos*) Ed. Par. *LX per annos.* — *accederet*) Sic exhibuit primus Leunclavius, cum edd. antiquiores *accideret* sisterent: firmat lectionem ab eo receptam Epit. — *habitum*) Ita Mg. Par. et ed. Lindenbr. eodem ducunt lectt. Pall. *obitum* et Ambr. *abitum:* vulgo *ambitum* legitur. — *Beremud*) Sic pro vulg. *Berismund* Pall. — *Vetericus*) Ita Pall. sed Exc. *Betericus* solenni literarum *b* et *v* commutatione, Epit. *Vithericus*; v. *Vedericus.* — *item*) Mallem *iterum*, quod Epit. exhibet et res exigit. — *illata*)

Sed nobis, ut ordo, quem coepimus, decurrat, ad Vandalarii sobolem, quae trino flore pullulabat, redeundum est. Hic etenim Vandalarius, fratruelis Hermanarici et suprascripti Thorismundi consobrinus, tribus editis liberis in gente Amala gloriatus est, id est Valamir, Theodemir, Videmir. Ex quibus per successionem parentum Valamir in regnum conscendit, adhuc Hunnis eos inter alias gentes generaliter obtinentibus. Eratque tunc in tribus his germanis contemplatio grata, quando mirabilis Theodemir pro fratris Valamir militabat imperio, Valamir vero pro altero iubebat ornando, Videmir servire fratribus aestimabatur. Sic eis mutua affectione se tuentibus nulli penitus deerat regnum, quod utrique in sua pace tenebant. Ita tamen, ut saepe dictum est, imperabant, ut ipsi Attilae, Hunnorum regis, imperio deservirent. Quibus nec contra parentes Vesegothas licuisset recusare certamen, sed necessitas domini etiam si parricidium iubet, implendum est. Nec aliter ab Hunnorum dominio divelli potuit gens aliqua Scythica, nisi optata cunctis nationibus in commune et Romanis mors Attilae proveniret, quae tam vilis fuit, ut vita mirabilis.

Ambr. cum Epit. *allata.* — *quem coepimus*) Sic Pall. Ambr. Epit. pro vulg. *cupimus.* — *iubebat*) Ita pro vulg. *iubet* Pall. Ambr. Epit. — *ornando*) Malim cum Exc. *ordinando.* Commutari utrumque persaepe inter se verbum docent, quos laudat Arntzen. ad Panegyr. XI, 11, 6. — *fratribus*) Sic Pall. cum Epit. *a fratribus* vulgo. — *aestimabatur*) Ita Ambr. praeferrem tamen *aestuabat*, quod Epit. sistit, si aliunde confirmaretur haec lectio; v. *aestimabat.* — *in sua pace*) An *summa*? quemadmodum et supra c. 11. extr. vox utraque reperitur commutata. — *nec contra parentes*) Ed. antiquissimae *ne* pro *nec* sistunt: correxit Leunclavius. — *proveniret*) Ita pro vulg. *provenerit* Pall. cum Epit. nisi quod haec *praeveniret* habet. — *vilis*) Optimam hanc lectionem reduxi ex edd. pr. confirmant eam Pall. et Ambr. quid? quod noster ipse, cum, ubicunque de obitu Attilae memorat, contemtim de ea loquatur ut cpp. 35. 49. 51. Quod vulgo legitur *utilis*, ex ed. Leuncl. in insequentes fluxit.

XLIX. Qui, ut Priscus historicus refert, exstinctionis suae tempore puellam, Ildico nomine, decoram valde, sibi in matrimonium post innumerabiles uxores, ut mos erat gentis illius, socians, eiusque in nuptiis nimia hilaritate resolutus, vino somnoque gravatus resupinus iacebat, redundansque sanguis, qui ei solite de naribus effluebat, dum consuetis meatibus impeditur, itinere ferali faucibus illapsus eum exstinxit. Ita glorioso per bella regi temulentia pudendum exitum dedit. Sequenti vero luce, quum magna pars diei fuisset exempta, ministri regii triste aliquid suspicantes, post clamores maximos fores effringunt inveniuntque Attilae sine vulnere necem sanguinis effusione peractam, puellamque demisso vultu sub velamine lacrimantem. Tunc, ut illius gentis mos est, crinium parte truncata informes facies cavis turpavere vulneribus, ut proeliator eximius non femineis lamentationibus et lacrimis, sed sanguine lugeretur virili. De quo id accessit mirabile, ut Marciano, principi Orientis, de tam feroci hoste sollicito in somnis divinitas assistens, arcum Attilae in eadem nocte fractum ostenderet, quasi quod gens ipsa eo telo multum praesumat. Hoc Priscus historicus vera se dicit attestatione probare. Nam in tantum magnis imperiis Attila terribilis habitus est, ut eius mortem in locum muneris superna regnantibus iudicarent. Cuius manes

---

Cap. XLIX. *Qui, ut Priscus* cet.) Haec est edd. quae Vulcanii antecesserunt, omnium lectio. Is primus *Attilae* nomen pro relativo posuit, sequentibus ceteris praeter Gruterum. — *exstinctionis suae tempore*) Mg. Par. cum Epit. *exitus sui*. — *nimia hilaritate*) Ita pro vulg. *magna* Pall. Ambr. Mg. Par. Epit. — *demisso vultu*) Sic bene Leunclavius, quum *dimisso* ante ipsum legeretur: confirmat emendationem eius Epitome. — *Marciano*) Ita legendum cum ed. Grut. et Epit. non *Martiano* ut vulgo. — *eo telo multum praesumat*) Sic pro vulg. *multa* ed. Grut. et Epit. haec insuper *ex telo* exhibet; pro *praesumat* in Ambr. legitur *praesumebat*. — *superna reg-*

quibus modis a sua gente honorati sunt, pauca de multis dicere non omittamus. In mediis siquidem campis et intra tentoria serica cadavere collocato spectaculum admirandum et solenniter exhibetur. Nam de tota gente Hunnorum lectissimi equites in eo loco, quo erat positus, in modum circensium cursibus ambientes, facta eius cantu funereo tali ordine referebant. Praecipuus Hunnorum rex Attila, patre genitus Mundzucco, fortissimarum gentium dominus, qui inaudita ante se potentia solus Scythica et Germanica regna possedit, necnon utraque Romani orbis imperia captis civitatibus terruit, et, ne praedae reliqua subderentur, placatus precibus annuum vectigal accepit: quumque haec omnia proventu felicitatis egerit, non vulnere hostium, non fraude suorum, sed gente incolumi inter gaudia laetus, sine sensu doloris occubuit. Quis ergo hunc putet exitum, quem

---

nantibus) Epit. *a superna regnantibus.* — *iudicarent*) Haec lectio primum comparet in ed. Vulcan. visitur quoque in Epit. minime tamen placet. Coniicerem pro ea *imputarent*, nisi a ductibus vocis, cui est substituendum, nimis abiret hoc vocabulum. Alio tamen ducit antiquissimarum edd. lectio *indicarent*: quid? si levissima mutatione *vindicarent* legas? — *honorati sunt*) Pall. *honoratae*, sed ed. Grut. *honoribus habiti sunt*, quam lectionem unde acceperit, me quidem latet. — *intra tentoria*) Epit. *inter tentoria.* — *lectissimi*) Ita pro vulg. *electissimi* Pall. cum Epit. — *dominus*) Qui nostrum hic exscripsit Calanus, *fortissimus dominus* exhibet. — *Romani orbis imperia*) Sic scribendum duxi, quod esset in Pall. *Romani urbis.* GRUT. Confirmatur ea lectio Ambr. in quo expresse *Romani orbis.* — *et ne — subderentur*) Hanc lectionem reduxi ex ed. pr. astipulantibus Pall. cod. Par. 5766. Ambr. (nisi quod hic cum Vindob. *reliquae*); quae quanquam commodum praebet sensum, dedit tamen *praeda* pro *praedae* Rhenanus, Leunclavius autem *subderent* pro *subderentur*, unde est orta lectio vulg. *et ne praeda reliqua subderent:* in qua non acquiescens Vulcanius *ne praedae reliqua subderet* legendum proposuit, quod a Lindenbrogio in textum admissum est. — *gente incolumi*) Ita dedit Rhenanus ad rationem praeceptorum grammaticorum, recte tamen mihi

nullus aestimat vindicandum? Postquam talibus lamentis est defletus, stravam super tumulum eius, quam appellant ipsi, ingenti comessatione concelebrant, et contraria invicem sibi copulantes, luctum funereum mixto gaudio explicabant, noctuque secreto cadaver terra recondunt. Cuius fercula primum auro, secundum argento, tertium ferri rigore communiunt, significantes tali argumento potentissimo regi omnia convenisse: ferrum, quo gentes edomuit, aurum et argentum, quod ornatum reipublicae utriusque acceperit: addunt arma hostium caedibus acquisita, phaleras variarum gemmarum fulgore pretiosas et diversi generis insignia, quibus colitur aulicum decus. Et, ut tot et tantis divitiis humana curiositas arceretur, operi deputatos detestabili mercede trucidarunt, emersitque momentanea mors sepelientibus cum sepulto.

---

videtur habere lectio ed. pr. *incolume.* Observare enim plus semel apud nostrum licet, terminari aliquoties in *e* sextum tertiae declinationis adiectivorum casum, non, ut vulgo, in *i*: sic *novietunense* c. 5. omnes exhibent libri, sic *plebe imbelle* c. 31. sistit ed. pr. sic *in Dacia ripense* c. 50. extr. eadem. Eodem modo terminat ablativum illum Aethicus Wuttk. *a parte australe* c. 68. *a plaga septentrionale* c. 67. *habet in mare septentrionale* c. 64. aliisque multis locis. — *putet exitum*) Sic pro vulg. *dicat exitum* Pall. Ambr. Mg. Par. *aestimat*) Amb. *aestimet stravam*). — *stravam* Exc. *strabam*, Epit. *stranam*: sed *stravam* sive *strabam* veram esse lectionem, nullus dubito et propter librorum consensum et quia eadem voxa pud Scholiasten Statii ad Theb. XII, 64. legitur. — *luctu—explicabant*) Haec est lectio vulg. a qua stant etiam Exc. et Epit. quae quanquam non plane satisfacit, praeferendam tamen censui lectionibus Pall. et Ambr. illi enim *celebrant* sistunt, hic vero *luctu funereo mixta gaudia celebrabant.* — *terra recondunt*) Sic Pal. alter ab emendatrice manu. GRUT. *est terra reconditum* vulgo. — *fercula*) Mg. Par. *copercula*, Exc. *ferculum*: *feretra* autem coniecit Peutingerus. — *primum—secundum—tertium*) Sic pro vulg. *primum—secundo—tertio* Pall. — *convenisse*) Ambr. *convenire.* — *phaleras*) Ed. pr. *faleras*; correxit Rhenanus. — *variarum*) Ita emendatum in Pall. cum prius fuisset *varium.* GRUT. *vario* vulgo. — *detestabili mercede*) Haec verba absunt in ed. Lindenbr.

L. Talibus peractis, ut solent animi iuvenum ambitu potentiae concitari, inter successores Attilae de regno orta contentio est, et dum inconsulte imperare cupiunt cuncti, omnes simul imperium perdidere. Sic frequenter regna gravat plus copia quam inopia successorum. Nam filii Attilae, quorum per licentiam libidinis paene populus fuit, gentes sibi dividi aequa sorte poscebant, ut ad instar familiae bellicosi reges cum populis mitterentur in sortem. Quod ut Gepidarum rex comperit Ardaricus, de tot gentibus indignatus, velut vilissimorum mancipiorum conditione tractari, contra filios Attilae primus insurgit, illatumque serviendi pudorem secuta felicitate detersit, nec solum suam gentem, sed et ceteras, quae pariter premebantur, sua discessione absolvit, quia facile omnes appetunt, quod pro cunctorum utilitate tentatur. In mutuum igitur armantur exitium, bellumque committitur in Pannonia iuxta flumen, cui nomen est Nedao. Illic concursus factus est gentium variarum, quas Attila in sua tenuerat ditione. Dividuntur regna cum populis, fiuntque ex uno corpore membra diversa, nec quae unius passioni compaterentur, sed quae exciso capite invicem insanirent; quae nunquam contra se pares invenerant, nisi ipsi mutuis se vulneribus sauciantes, se ipsas discerperent fortissimae nationes. Nam ibi admirandum reor fuisse spectaculum, ubi cernere erat contis pugnantem Gothum, ense furentem Gepidam, in

Cap. L. *inconsulte*) Haec leotio a Rhenano est; stabiliunt eam Exc. ed. pr. *inconsulti* exhibet. — *poscebant, ut ad instar*) Ed. Lindenbr. *poscebant, ad instar,* eiecta *ut* particula. — *bellicosi reges*) Sic pro vulg. *regis* Pall. — *Quod ut*) Ita Pall. Ex. Epit. *quod dum* vulgo. — *detersit*) Epit. *detrusit.* — *quod — tentatur*) Sic Pall. Exc. Epit. *quae — tentantur* vulgo. — *Nedao*) Ita Pall. Ambr. Mg. Par. necnon Exc. nisi quod haec transpositis literis *Neoda*, Epit. *Nedad*, ed. Grut. *Netao*, sed causa non addita, cur invitis Pall.; v. *Netad* — *ipsi mutuis — vulneribus*) Ed. Lindenbr. *ipsis.* — *contis pugnantem*

vulnere suo Rugum tela frangentem, Suavum pede, Hunnum sagitta praesumere, Alanum gravi, Herulum levi armatura aciem struere. Post multos ergo gravesque conflictus favit Gepidis inopinata victoria. Nam triginta fere millia tam Hunnorum quam aliarum gentium, quae Hunnis ferebant auxilium, Ardarici gladius conspiratorumque peremit. In quo proelio filius Attilae maior natu, nomine Ellac, occiditur, quem tantum pater super ceteros amasse perhibebatur, ut eum cunctis diversisque filiis suis in regno praeferret; sed non fuit voto patris fortuna consentiens. Nam post multas hostium caedes sic viriliter eum constat peremptum, ut tam gloriosum superstes pater optasset interitum. Reliqui vero germani eius eo occiso fugantur iuxta littus Pontici maris, ubi prius Gothos sedisse descripsimus. Cessere itaque Hunni, quibus cedere putabatur universitas. Adeo discidium perniciosa res est, ut divisi corruerint, qui adunati viribus territabant. Haec causa Ardarici, regis Gepidarum, felix affuit diversis nationibus, qui Hunnorum regimini inviti famulabantur, eorumque diu moestissimos animos

---

Gothum, ense—Gepidam, Rugum—frangentem) Sic legendum et distinguendum, quum ante fuisset inepte satis *cunctis, pugnantem Gothum ense furentem, Gepidam in vulnere suorum tela fragentem.* Iam illa *contis—Gothum,* tenent Pall. Ambr. codd. Vindob. 75. 286. 2129. 3421. Paris. 5766. Mg. Par. verba vero *in vulnere Rugum—frangentem* exhibent Pall. codd. Vindob. 75. 286. 2129. 3421. et Paris. 5766. nisi quod vox *suo* deest in nonnullis, et pro *Rugum regum* repraesentant Ambr. Vindob. 3421. Mg. Par. — *struere*) Vulgati *instruere,* sed alterum erat in Pall. a manu correctoris, prius enim legebatur *strui.* GRUT. Possit et haec ferri lectio, modo legas *Alanûm* et *Herulûm.* — *conspiratorumque*) Ambr. truncate *conspiratoque.* — *Ellac*) Exc. *Hellam,* Epit. *Ellac alias Ellacus.* — *discidium*) Hanc lectionem revocavi ex edd. pr. addicentibus Pall. *dissidium* quod vulgo legitur, a Rhenano est. — *nationibus qui—eorumque*) Pall. cum Exc. *nat. quae —earumque,* rationi grammaticae convenienter: haud scio tamen, an retenta a me lectio a Iordane ipso sit profecta, quum idem voca-

ad hilaritatem libertatis votivae erexit; venientesque multi per legatos suos ad solum Romanum et a principe tunc Marciano gratissime suscepti, distributas sedes, quas incolerent, accepere. Nam Gepidae Hunnorum sibi sedes viribus vindicantes, totius Daciae fines velut victores potiti, nihil aliud a Romano imperio, nisi pacem et annua solennia, ut strenui viri, amica pactione postulavere. Quod et libens tunc annuit imperator, et usque nunc consuetum donum gens ipsa a Romano suscipit principe. Gothi vero cernentes Gepidas Hunnorum sedes sibi defendere Hunnorumque populum suas antiquas sedes occupare, maluerunt a Romano regno terras petere, quam cum discrimine suo invadere alienas, accipientes Pannoniam, quae in longa porrecta planitie habet ab oriente Moesiam superiorem, a meridie Dalmatiam, ab occasu Noricum, a septentrione Danubium. Ornata patria civitatibus plurimis, quarum prima Sirmis, extrema Vin-

---

bulum masculine legatur et supra c. 17. in. — *ad hilaritatem libertatis votivae*) Sic ed. Par. *votivam* vulgo. — *ad solum Romanum*) Sic pro vulg. *ad sol. Romanorum* Pall. *ad solium Romanum* Epit. — *a principe tunc Marciano*) Ed. Par. *a principe Marciano.* — *viribus*) Exc. cum Epit. *viriliter*, quod recepissem, si libri addixissent. *fines*) Haec vox in ed. Par. abest. — *solennia*) Pro hoc vocabulo *solatia* coniecit Leunclavius: at praeterquam quod receptae lectioni Epit. et Bonf. favent, recurrit idem infra c. 52. — *ut strenui viri*) Suspicor locum non vacare mendo ac latere id in vocabulo *strenui*, pro quo *strenas* (vid. c. 52.) legerim expulsa voce *viri*: quod quum non intelligeret librarius, corruptum esse existimans, *strenui* posuit addiditque ad explendum sensum illud *viri*. — *consuetum donum gens ipsa—principe*) Ita tenent uno tenore Pall. et reperit etiam Aeneas Sylvius in suo; exhibet enim *et usque nunc consuetum donum a Rom. principe suscipiunt.* Pro *consuetum donum* Mg. ed pr. *consuetudo* sistit. Vulgo duabus vocibus amplius et aliter distinctum *consuetum donum est. Nam gens ipsa* cet. — *accipientes*) Malim *accipiunt*, distinctione maiori post verba *invadere alienas* posita. — *in longa—planitie*) Epit. *in longam—planitiem.* — *Noricum*) Ambr. *Moricum.* — *Sirmis*) Nihil mutandum: quae enim urbs *Sirmium* vulgo appellatur,

domina. Sauromatae vero, quos Sarmatas diximus, et Cemandri, et quidam ex Hunnis in parte Illyrici ad castra Martenam urbem sedes sibi datas coluere. Ex quo genere fuit Blivila, dux Pentapolitanus, eiusque germanus Froila, et nostri temporis Bessa patricius. Sciri vero, et Sadagarii, et ceteri Alanorum cum duce suo nomine Candac Scythiam minorem inferioremque Moesiam accepere. Cuius Candacis Alanoyamuthis patris mei genitor Paria, id est, meus avus, notarius, quous-

---

ea *Sirmis* seu *Sirmi* interdum dicebatur extremis imperii temporibus: sic Iordanis ipse infra c. 57. *per Sirmis:* sic legitur in Expositione totius mundi apud Hudson. Geogr. minor. V. III. p. 16. *habet Pannonia et civitates maximas et Syrmi quoque;* apud S. Anastasium in Act. Sanctor. T. I. p. 470. *in Syrmis*. *Sirmi* insuper reperitur in Itinerario Anton. p. 131. 261. ad quem posteriorem locum ita Wesselingius: „*Sirmis* constanter fere nostri libri, quomodo lex unica C. Th. De frumento Carthag. dicitur *Sirmi* data. Nam terminationem quod attinet, eam Graeci Latinique suo quisque arbitrio finxere libere neque ea nativae vocis ullam partem facit.“ — *Vindomina*) Mg. Par. *Vendomia*, quod nec ipsum respuerim, quum varie efferatur nomen urbis: qua de re v. Cluver. Vindel. et Noric. c. 5. Harduin. ad Plin. H. N. III, 27. Wesseling. ad Anton. Itin. p. 283 sq. Reichard. ad O. A. — *ad castra Martenam urbem*) Sic Pall. et ed. pr. nisi quod in illis vox *urbem* abest: sed Exc. *ad Maternam urbem*, Epit. cum Bonf. *iuxta marittimam urbem*: vulgata *ad castrum Martenam* a Rhenano est profecta, vocabulo *urbem* male omisso. Videtur tamen *ad castra Martis* legendum: quomodo si scripsit Iordanis, vox *urbem* vix poterit abesse, quum eo significare voluerit Iordanis, vocem *castra* non proprie esse accipiendam, sed urbem esse illa. — *Blivila*) Sic pro vulg. *Blivilas* Pall. *Blivillorum* Mg. Par. *Bilina* Epit. cum Bonf. — *Pentapolitanus*) Ita pro lectione edd. pr. *Pentepolitanus* primus dedit Leunclavius. — *Froila*) Sic unus Pall. Epit. Bonf. *Proila* alter Pall. cum Ambr. *Ferollat* Mg. Par. *Froilas* vulgo. — *Bessa*) Mg. Par. *Besea*. — *Sadagarii*) Ita Pall. cum Epit. *Sadari* cod. Monac. *Sadacaris* Mg. Par. *Adagarii* Exc. *Sedagarii* Bonf. *Satagarii* vulgo. — *Candac*) Sic Pall. cum Epit. pro vulg. *Candax*. — *Alanovamuthis*) Pall. unus *Alano Viiamuthis* sec. *Alano Vilamuthis*, ut appareat scribendum *Alanovilamuthis* GRUT. In Epit. legitur *cuius Candacis Alanorum ducis Anthis patris mei genitor* cet. — *Paria*) Ita pro vulg. *Peria* Pall. Ambr. ed.

que Candac ipse viveret, fuit, eiusque germanae filius Gunthigis, qui et Baza dicebatur, magister militum, filius Andagis, filii Andalae, de prosapia Amalorum descendens. Ego item, quamvis agrammatus, Iordanis ante conversionem meam notarius fui. Rugi vero aliaeque nationes nonnullae Bizzim et Arcadiopolim ut incolerent, petivere. Hernac quoque, iunior Attilae filius, cum suis in extremo minoris Scythiae sedes delegit. Emnedzur et Ultzindur, consanguinei eius, in Dacia

---

Par. Epit. — *notarius quousque*) Ed. Rhenan. *notariusque quousque*, nullo post editorum sequente. — *germanae filius*) Pall. *germanae filio*, sed ed. Grut. *germanae filii*. — *filius Andagis, filii Andalae*) Pall. unus *filio Andages fili Andele*, alter sine illo *filius* habebat *Andages fili Andele*. GRUT. Mg. Par. *Filvandelem*. — *agrammatus*) Ambr. *agrammatos*. — *Iordanis*) Sic Ambr. Mg. Par. Epit. *Iordannis* Pall. *Iornandes* vulgo, sed a Rhenano: nam ed. pr. *Iornandis* sistit. — *Bizzim*) Sic Pall. *Bizim* Ambr. *Brizim* Mg. Par. *Bizim* Exc. *Bizini* Epit. *Byzim* Bonf. *Biozimetas* vulgo, in unum cum voce nativa coalitis vocabulum non solum *et* copula, sed etiam capite nominis *Arcadiopolis*. *Bizyem* autem intelligi a nostro, non est quod dubitem, quamquam ita reponere non ausim, quum temporis progressu fieri potuerit, ut mutaretur nomen vel potius corruptum enunciaretur. — *Arcadiopolim*) Ita Pall. cum Bonf. *Archadiopolim* aspirate Ambr. Mg. Par. Exc. et Epit. in qua tamen *Archadyapolis* legitur; *Scandiopolim* vulgo. — *Hernac*) Exc. *Hernach* quod recepit Lindenbrogius: non male; nam Ἡρνὰχ idem est non semel Prisco. — *Emnedzur*) Sic Pall. *Emmedzur* Ambr. *Enmezur* Mg. Par. *Hemmezur* Exc. *Emudezur* Epit. *Eumedzur* Bonf. *Eminedzar* ed. Lindenbr. *Emnedzar* vulgo. — *Ultzindur*) Ita Pall. Ambr. Mg. Par. *Bulzindur* Exc. *Ultzinder* Epit. *Vultizintur* Bonf. *Uzindur* vulgo. — *in Dacia ripensi*) Haec lectio est a Leunclavio; nam edd. pr. *ripense* sistunt, qua de forma v. annot. ad c. 49. — *Uto et Hisco Almoque*) Sic Pall. nisi quod iunctim *Ethisco* et Epit. sed Ambr. iunctim et *d* pro *o* posito ut *Dethisco Almoque*, Mg. Par. *Histo Alivoque*, Exc. *Hedisco Almoque*; v. *Uto et Iscalmus qui*, quasi virorum haec essent nomina. Ceterum non celandum, lectionem a nobis propositam eruisse iam dudum Wesselingii sagacitatem ad Anton. Itin. p. 221. Ambrosiani insistentis vestigiis. — *Emnedsur —potiti sunt*) Sic puncto deleto et utroque membro in unam enun-

ripensi Uto et Hisco Almoque potiti sunt, multique Hunnorum passim proruentes tunc se in Romaniam dederunt, e quibus nunc usque Sacromontisii et Fosatisii dicuntur.

LI. Erant siquidem et alii Gothi, qui dicuntur minores, populus immensus, cum suo pontifice ipsoque primate Vulfila, qui eis dicitur et literas instituisse. Hodieque sunt in Moesia regionem incolentes Nicopolitanam ad pedes Haemi montis gens multa, sed paupera et imbellis, nihil abundans, nisi armento diversi generis, pecorum et pascua silvaque lignorum; parum habens tritici, ceterarum specierum est terra foecunda. Vineas

---

ciationem contracto legendum, non, ut vulgo, inde a Leunclavio, *Emnedzur—in Dacia ripensi. Uto et Iscalmus, qui ea potiti sunt, multique* cet. neque quemadmodum in edd. pr. et Rhenani *Emnedzar—in Dacia ripense Uto et Iscalmus qui ea potiti sunt: multique Hunnorum* cet. — *Sacromontisii et Fosatisii*) Epit. *Sacromantisii et Fossalisii*, Bonf. *Sacromantisii et Fossatisii*, quae vox posterior nostri fortasse manus.

Cap. LI. *qui eis dicitur et literas instituisse*) Sic Pall. cum ed. pr. sed edd. Par. ann. 1583. et 1588. ac Lindenbr. *eos—literis*: lectio vulg. *eis—literis* profecta ex ed. Leuncl. aut Par. a. 1579. — *regionem incolentes Nicopolitanam*) Sic Pall. Ambr. Mg. Par. *Meopolitariam* Epit. *Neapolitanam* Bonf. *regione—Eucopolitanam* vulgo. — *ad pedes Haemi montis*) Sic Ambr. Mg. Par. Epit. Bonf. nisi quod *Hemi* aut *Emi* expressum exhibent; Pal. unus *Haemimontii*, quod vix ferendum, quum *Haemimontium* provincia sit, alter vero *ad pedes ei monti*, quod recepit Gruterus; v. *Ad pedes enim montis* puncto post Nicopolitanam posito. — *gens multa, sed paupera et imbellis*) Sic legendum et distinguendum: *paupera* sistit unus Pall. forma nec aliis ignorata, *pauper* tamen alter exhibet, et *sed* pro vulg. *sedit* ille Pal. et Epit. — *nisi —generis, pecorum et pascua*) Ita distinguendum censui, quum ante distinguerent legerentque *nisi armento diversi generis pecorum, et pascuis*. Lectionem *pascua* autem reduxi ex edd. quae Vulcanii praecesserunt: is primus *pascuis* dedit sequentibus post editoribus; temere. Utitur enim vocabulo *pascua* singulariter et Tertullianus Apolog. c. 22. *et quae illi accuratior pascua est?*

vero nec, si sunt alibi, certe cognoscunt, ex vicinis locis sibi vinum negotiantes; nam lacte aluntur plerique.

LII. Ergo, ut ad gentem, unde agitur, revertamur, id est Ostrogotharum, qui in Pannonia sub rege Valamir eiusque germanis Theodemir et Videmir morabantur, quamvis divisi loco, consilio tamen uniti (nam Valamir inter Scarniungam et Aquam nigram fluvios, Theodemir iuxta lacum Pelsois, Videmir inter utrosque manebat) contigit ergo, ut Attilae filii contra Gothos, quasi desertores dominationis suae, velut fugacia man-

---

nec si — cognoscunt) Sic Ambr. melius quidem quam vulgati, in quibus legitur *nec si sunt alibi, certi eorum cognoscent*, non tamen satisfacit eius lectio: fuit quum suspicarer legendum *vinearum vero nescii sunt, licet certe vinum cognoscant*, sed neque ita sanatus videtur locus. — *nam — plerique*) Haud aliter Pall. nam prius editi [quaeque post Gruterianam lucem viderunt edd.] novum caput auspicati erant a voce ultima *Plerique*. Satis absurde. GRUT. Eandem cum Pall. distinctionem exhibent Epit. et Ambr. hic tamen vocem *plerique* collocat inter vocabula *nam* et *lacte*.

Cap. LII. *Valamir*) Sic Exc. Epit. ed. Grut. pro vulg. *Walemir*. — *eiusque — Videmir morabantur*) Pall. *eiusque germani Theudimer morabantur* absque illo *et Widemir*, quod sequentia docent perperam omissum. GRUT. Neque Exc. *Videmiris* nomen exhibent. — *Theodemir*) Pall. hic quidem *Theudemir*, infra vero *Thiudimer*, pro quo Bonf. inversa *u* litera *Thindimer*. — *Videmir*) Haec lectio a Rhenano est; nam ed. pr. *Widimir* praefert. — *quamvis divisi — uniti*) Sic Ambr. sed Exc. *locis divisis, consilio tamen unitis* exhibent. Vulgo legebatur *quamvis divisa loca, consilia tamen habuere unita;* quae lectio inde videtur orta, quod librarius non attendens, orationem a voce *ergo* usque ad verbum *irruerent* uno decurrere tenore, constructione mutata, *habuere*, quod necessarium ipsi videretur, inseruit. — (*nam Valamir — manebat*) Haec verba uncinis duxi includenda. — *Scarniungam*) Epit. *Starmungam*, Bonf. *Scarmurgam*. — *iuxta lacum Pelsois*) Sic Pall. Exc. Geographus Rav. IV, 19. sed Epit. Bonf. et vulgo *Pelsodis*, infra tamen c. 53. *Pelsodis* et Pall. exhibent, *Pellois* autem Exc. Pro vocabulo *lacum* sistunt Exc. *locum*, Mg. Par. *loca*.

cipia requirentes venirent, ignarisque aliis fratribus super Valamir solum irruerent. Quos tamen ille, quamvis cum paucis, excepit, diuque fatigatos ita prostravit, ut vix pars aliqua hostium remaneret, quae in fugam versa eas partes Scythiae peteret, quas Danapri amnis fluenta practermeant, quae lingua sua Hunnivar appellant. Eo namque tempore ad fratrem Theodemirem gaudii nuncium direxit, sed et mox eo die nuncius veniens felicius in domo Theodemiris reperit gaudium. Ipso siquidem die Theodericus eius filius, quamvis de Erelieva concubina, bonae tamen spei puerulus natus erat. Post tempus ergo non multum rex Valamir eiusque germani Theodemir et Videmir, consueta dum tardarent dona a principe Marciano, quae ad instar strenae acciperent,

---

Danapri fluenta) Ita Pal. alter a manu castigatrice, cum prius ibi fuisset *Danabri*. Pal. pr. *quas Danubri amnis fluenta*. GRUT. *Danapri* praefert Mg. quoquePar.; lectio vulg. *Danubii* est, quam his verbis reiicit Desiricius l. l. T. I. c. 5. p. 49. n. *q*. „Arbitror ego mendose legi in Ed. Iornandis Bas. [immo omnibus praeter Grut.] *Danubii*. Hunni quippe ultra cisque Danubiumsub Attila late per Pannonias dominabantur. Quare non ultra Danubium (per Gothos aliosque excussi) se receperant, sed ultra Danabrum sive Borysthenem.“ — *quae lingua sua*). Epit. *quas lingua sua*. — *Hunnivar*) Epit. *Himmar*. — *Eo namque tempore—nuncius veniens*) Sic Ambr. nisi quod *Theodemeris* nomen in eo non comparet, quod suppeditant et Pall. qui cum Ambr. tantum non consentientes ita locum exhibent *Eo namque tempore ad fratres Thiudimeri—direxit, sed mox eo die nuntius veniens*. Eandem, quam Ambr. sistit, lectionem reperit etiam Aeneas Sylvius in suo, ut verba eius probant; v. *Eoque tempore quum ad fr. Th. gaud. nunc. direxisset, eo mox die nuncius veniens*. — *felicius*) Pall. *feliciorem*. — *Erelieva*) Historia Misc. e nostro *Trileva*, Epit. *Erclina*, Bonf. *Erelina*: eadem est *Ererlliva* Anonymo Vales. p. 555. — *tardarent*) Reduxi hanc lectionem ex edd. pr. iubentibus Pall. Exc. Epit. *traderent* quod vulgo legitur, ex ed. Leuncl. fluxit. — *quae ad instar strenae acciperent*) Sic ausus sum reponere, secutus Palatinos, in quibus *strenuae acciperent*. Stulte edd. hactenus, *quae ad instar strenuae gentis acceperunt*. GRUT.

ut pacis foedera custodirent, missa legatione ad imperatorem vident Theodericum, Triarii filium, et hunc genere Gothico, alia tamen stirpe, non Amala procreatum, omnino florentem cum suis, Romanorumque amicitiis iunctum et annua solennia consequentem, et se tantum despici. Illico furore commoti, arma arripiunt et Illyricum paene totum discurrentes in praedam devastant. Sed statim imperator animo mutato ad pristinam recurrit amicitiam, missaque legatione tam praeterita cum instantibus munera tribuit, quam etiam de futuro sine aliqua controversia tribuere compromittit, pacisque obsidem ab eis, quem supra retulimus, Theodericum, infantulum Theodemiris, expetit; qui iam annorum septem incrementa conscendens, octavum intraverat annum. Quem dum pater cunctatius daret, patruus Valamir exstitit supplicator, tantum ut pax firma inter Romanos Gothosque maneret. Datus igitur Theodericus obses a Gothis, ducitur ad urbem Constantinopolitanam Leoni principi, et, quia puerulus elegans erat, meruit gratiam imperialem habere.

LIII. Postquam ergo firma pax Gothorum cum Romanis effecta est, videntes Gothi non sibi sufficere ea, quae ab imperatore acciperent, solitam simulque

---

Egregie confirmatur Gruteri emendatio a Bonfinio, qui, quamquam de solo Valamire loquens *dona loco strenae accipere solebat.* — *Triarii filium*) Mg. Par. *Triani fil.* Epit. *Tritarii fil.* — *et hunc genere*) Ambr. *et Humo genere.* — *non Amala*) Ed. Lindenbr. *non Amalae.* — *ab eis*) Ambr. *ab eo.* — *Theodemiris*) Mg. Par. *Theodemiri.* — *expetit*) Vulgg. *accepit.* Pall. *accipiunt.* alterum est a tertio Palatino, in quo huius historiae excerpta quaedam. GRUT. *Accipiunt* praefert Mg. quoque Par. — *cunctatius daret*) Sic tertius ille Palatinus, nihilo tamen peius alii duo, *dum pater cunctatur dare*, editi, *cunctatus daret.* GRUT. In Ambr. quoque legitur *cunctaretur dare.*

Cap. LIII. *acciperent, simulque solitam—virtutem*) Sic Pall. cum Exc. et Epit. *acciperent solatia, simulque cupientes* vulgo.

cupientes ostentare virtutem, coeperunt vicinas gentes circumcirca praedari, primo contra Sadagas, qui interiorem Pannoniam possidebant, arma moventes. Quod ubi rex Hunnorum Dintzic, filius Attilae, cognovisset, collectis secum qui adhuc videbantur, quamvis pauci, eius tamen sub imperio remansisse, Ultzinzures, Angisciros, Bittugores, Bardores, veniensque ad Bassianam, Pannoniae civitatem, eamque circumvallans fines eius coepit praedari. Quo comperto Gothi ibi, ubi erant, expeditionemque solventes, quam contra Sadagas collegerant, in Hunnos convertunt, et sic eos suis a finibus inglorios pepulerunt, ut iam ex illo tempore, qui remanserunt Hunni, et usque hactenus Gothorum arma formident. Quiescente vero tandem Hunnorum gente a Gothis Hunimundus, Suavorum dux, dum ad praedandas Dalmatias transit, armenta Gothorum in campis errantia depraedavit, quia Dalmatiis Suavia vicina erat, nec a Pan-

---

contra Sadagas) Pall. hic quidem *Sadagis*, sed infra *Sadagas*, Ambr. *Sadares* et hic et infra; cod. Monac. *Sadages*, Exc. *Satagos*, Epit. *Stigadas*; v. *Satagas*. — *interiorem Pannoniam*) Bonf. *ulteriorem Pannoniam*. — *Dintsic*) Ita Pall. cum Ambr. *Dindzic* Mg. Par. *Dinzich* Exc. *Diuzic* Epit. *Duizia* Bonf. *Dinsio* vulgo, ex quibus variis lectionibus ea, quae ab Exc. offertur, proxime accedit ad nomen *Δεγγιζὶχ*, quod legitur apud Priscum p. 161. 162. — *Ultzinzures*) Sic Pall. cum Monac. et parum diverse Ambr. *Ulzinzures*, Epit. autem et Bonf. *Ultingures*; v. *Ulxingures*. — *Angisciros*) Epit. *Augistiros*, Bonf. *Angistros*. — *Bittugores*) Ambr. *Burtugures*: sed vulgata bene habet: sunt enim illi iidem, qui *Βίττορες* seu, ut Zeussius legi vult, *Βίτγορες* Agathiae II, 13. — *Bardores*) Ambr. *Bardares*. — *veniensque*) Ita pro vulg. *veniens* Pall. cum Epit. — *ibi, ubi erant*) Sic pro vulg. *ubi erant* Pall. mallem tamen *uti* pro *ubi*: sic Sueton. Galb. c. 20. *relictus uti erat*: qua de structura plura exempla suppeditabit Freinsh. ad Flor. III, 10, 22. — *expeditionemque*) Exc. cum Epit. *expeditionem*, quae lectio, si sana, ad firmandam coniecturam meam multum faciat. — *remanserunt*) Ed. Grut. *remanserant*. — *Hunimundus*) Pall. *Hunumundus*, Exc. *Chunimundus*, Epit. *Hunnimundus*. — *quia Dalmatiis — erat*) An *qua*? sic et supra c. 5. voces *quia* et *qua*

noniis multum distabat, praesertim ubi tunc Gothi residebant. Quid plurimum? Hunimundo cum Suavis vastatis Dalmatiis ad sua revertente, Theodemir, germanus Valamiris, regis Gothorum, non tantum iacturam armentorum dolens, quantum metuens, ne Suavi, si impune hoc lucrarentur, ad maiorem licentiam prosilirent, sic vigilavit in eorum transitu, ut intempesta nocte dormientes invaderet ad lacum Pelsois, consertoque inopinato proelio ita eos oppressit, ut etiam ipso rege Hunimundo capto omnem exercitum eius, qui gladium evasissent, Gothorum subderet servituti. Et dum multum esset amator misericordiae, facta ultione veniam condonavit, reconciliatusque cum Suavis, eundem, quem ceperat, adoptans sibi filium, remisit cum suis in Suaviam. Sed ille immemor paternae gratiae post aliquod tempus conceptum dolum parturiens, Scyrorum gentem incitavit, qui tunc supra Danubium considebant, et cum Gothis pacifice morabantur, quatenus scissi ab eorum foedere secumque iuncti in arma prosilirent gentemque Gothorum invaderent. Tunc Gothis nihil mali sperantibus, praesertim de utrisque amicis vicinis confisis, bellum insurgit ex improviso, coactique necessitate ad arma confugiunt, solitoque certamine arrepto se suamque iniuriam ulciscuntur. In eo siquidem proelio rex eorum Valamir dum equo insidens ad cohortandos suos ante aciem curreret, proturbatus equus corruit sessoremque suum deiecit, qui mox inimicorum lanceis confossus interemptus est. Gothi vero tam regis sui mortem, quam

---

permutatae inter se: *qua* si legitur, tollitur difficultas, quam sequens peperit locus, magna certe ex parte. — *ad lacum Pelsois*) De scriptura v. c. 52. — *Scyrorum gentem*) In Epit. semper *Styri* nominantur. — *sperantibus*) Exc. *suspicantibus*, quod est a correctore, quem fugeret, *sperare* verbum ἀκύρως hic usurpari a Iordane, ut saepe alias: quo de verbi usu v. praeter alios Lindenbr. ad Ammian. XIV, 7, 5.

suam iniuriam a rebellionibus exigentes, ita sunt proeliati, ut paene de gente Scyrorum, nisi qui nomen ipsum ferrent, et hi cum dedecore, non remansissent: sic omnes exstinxerunt.

LIV. Quorum exitium Suavorum reges Hunimundus et Alaricus veriti, in Gothos arma moverunt, freti auxilio Sarmatarum, qui cum Beuca et Babai regibus suis auxiliarii eorum advenissent, ipsasque Scyrorum reliquias quasi ad ultionem suam acrius pugnaturas accersentes cum Edica et Hunuulfo eorum primatibus, habuerunt simul secum tam Gepidas, quam ex gente Rugorum non parva solatia, ceterisque hincinde collectis ingentem multitudinem aggregantes, ad amnem Boliam in Pannoniis castrametati sunt. Gothi tunc Va-

---

et hi cum dedecore, non remansissent) Si ita cum Pall. et Epit. legeris pro vulg. *et hic* planus erit locus, quamquam et sic vitiatum esse iudicat Gruterus. Offendit, ut videtur, virum doctissimum plusquamperfectum *remansissent*, quod non debebat. Est enim id accipiendum tamquam imperfectum, solenni plusquamperfecti subiunctivi cum imperfecto eiusdem modi permutatione cum aliis, tum illorum temporum scriptoribus; qua de re v. Gronov. ad Liv. XXXIV, 34. Ruhnk. ad Terent. Andr. I, 5, 23. Casaub. ad Capitol. Anton. Philos. c. 27. Salmas. ibid. c. 29. Munker. ad Fulgent. Mythol. L. I. p. 600. Freinsh. ad Curt. IV, 1, 9. Dederich. ad Dict. I, 22.

Cap. LIV. *Beuca*) Sic pro vulg. *Beuga* Pall. cum Bonf. *Benca* Epit. — *Babai*) Epit. *Babaii* et hic et infra c. 55. Bonf. *Babais* utroque loco. — *auxiliarii*) Ita Ambr. pro vulg. *auxiliariis*. — *advenissent*) Sic pro vulg. *devenissent* Ambr. et ed. Grut. — *cum Edica et Hunuulfo*) In prius nomen consentiunt libri et scripti et impressi omnes, in altero vero multum variatur. Quam in textu exhibuimus lectionem, ea debetur Pall. sed Ambr. *Hunulfo* praefert, quod legitur et in ed. Grut. Mg. Par. *Hunnulfo*, Epit. *Hunuolfo*, ed. pr. *Vnulfo; v. Vulfo*. Graecis est idem modo Ὀνοῦλφος, modo Ὀνόουλφος, modo Ὀνούολφος. — *ad amnem Boliam*) Sic Pall. omissa tamen *m* litera, necnon Epit. nisi quod duabus in unam conflatis vocibus *Armenboliam*, Bonf. *Baliam; v. Bolliam*. — *Videmire*) Ed. pr. *Widemeri*, sed *Widemire* coniecit iam Peutingerus legendum. — *tunc*) Haec particula abest

lamire defuncto ad fratrem eius Theodemir confugerunt. Qui quamvis dudum cum fratribus regnans, tamen auctioris potestatis insignia sumens, Videmire fratre iuniore accito, et cum ipso curas belli partitus, coactus ad arma prosiluit; consertoque proelio superior pars invenitur Gothorum, adeo ut campus inimicorum corruentium cruore madefactus ut rubrum pelagus appareret, armaque et cadavera in modum collium cumulata campum plus quam decem millibus oppleverunt. Quod Gothi cernentes, ineffabili exsultatione laetantur, eo quod et regis sui Valamiris sanguinem et suam iniuriam cum maxima inimicorum strage ulciscerentur. De innumeranda vero variaque multitudine hostium qui valuerunt evadere, effugati vix ad sua inglorii pervenerunt.

LV. Post certum vero tempus instanti hiemali frigore amneque Danubii solite congelato — nam istiusmodi fluvius ita rigescit, ut in silicis modum vehat exercitum pedestrem, plaustraque et tragulas vel quidquid vehiculi fuerit, nec cymbarum indigeat lintre — sic ergo eum gelatum Theodemir, Gothorum rex, cernens, pedestrem ducit exercitum, emensoque Danubio Suavis improvisus a tergo apparuit. Nam regio illa Suavorum ab oriente Baioarios habet, ab occidente Francos, a

---

in Exc. et ed. Grut. neque sistunt eam Epit. et Bonf. sed illa *autem* pro ea ponit, Bonf. *vero*. — *prosiluit*) Hanc lectionem revocavi ex ed. pr. pro vulg. *prosilivit*. — *quod et regis sui*) Sic ed. Grut. cum Epit. *quod regis sui* vulgo. — *innumeranda*) Ed. Par. *innumerabili*.

Cap. LV. *instanti—frigore*) Ed. Lindenbr. *instante—frigore*. — *tragulas*) Hanc lectionem recepit e Mg. Par. Vulcanius, quum edd. antiquiores *triaculas* exhiberent. — *Baioarios*) Sic Ambr. ad quod ducunt etiam lectiones Pal. alterius *Bagoarios* (a manu tamen emendatrice) atque Epit. *Boiaricos*; et ita Lindenbrogius de suo dedit: sed in Pall. *Baibaros* legitur, vulgo autem et in cod. Monac. *Baiobaros*.

meridie Burgundiones, a septentrione Thuringos. Quibus Suavis tunc iuncti aderant etiam Alemanni, ipsique Alpes erectas omnino regentes, unde nonnulla fluenta Danubio influunt, nimio cum sonitu vergentia. Hic ergo taliterque munito loco Theodemir rex hiemis tempore Gothorum ductavit exercitum, et tam Suavorum gentem quam etiam Alemannorum, utrasque ad invicem foederatas, devicit, vastavit et paene subegit. Inde quoque victor ad proprias sedes, id est Pannonias, revertens, Theodericum, filium suum, quem Constantinopolim obsidem dederat, a Leone imperatore remissum cum magnis muneribus gratanter recepit. Qui Theodericus iam adolescentiae annos contingens expleta pueritia, octavum decimum peragens annum, ascitis certis ex satellitibus patris et ex populo amatores sibi clientesque consociat, paene sex millia viros, cum quibus inscio patre emenso Danubio super Babai, Sarmatarum regem, discurrit, qui tunc de Camundo, duce Romanorum, victoria potitus, superbiae

---

Burgundiones) Pall. *Burgundzones*, ut solent. — *aderant etiam Alemanni*) Sic ed Grut. et Epit. *Alemanni etiam aderant* vulgo. — *Alpes erectas — regentes*) Vide an pro *erectas* legendum sit *Brettias*. Si vero *erectas* omnino, tum intellige arduas admodum et sublimes. VULCAN. Epit. *rigentes*, Bonf. *ingentes*, ed. Lindenbr. *rhaeticas*, rei quidem convenienter, vellem tamen prodidisset quo auctore? — *cum sonitu*) Sic pro vulg. *sono* Mg. Par. cum Epit. — *vergentia*) An *mergentia*, ut supra c. 16? — *taliterque*) Ita ed. Grut. pro simplici *taliter*. — *gentem — Alemannorum*) Pall. adest a manu principe *Alanorum*. GRUT. — *recepit*) Sic pro vulg. *excepit* ed. Par. — *ascitis certis ex satellitibus*) Ita Pall. *adscitis satellitibus* vulgo. — *et ex populo*) Ita iidem Pall. cum Epit. copula abest vulgo. — *consociat*) Sic bene Gruterus: Pall. tamen *consocians* exhibent, quod et in Epit. legitur. — *sex millia viros*) Ita Epit. quoque, sed ed. Lindenbr. *virorum* ex Exc. aut e coniectura: qua minime est opus. Sic enim loquebantur illis temporibus: Iul. Valer. I, 15. *quindecim millia pedites;* Interpres antiq. Libri Iudicum VIII, 10. *quindecim millia viri remanserunt*. — *de Camundo*) Epit. *de Camido*.

tumore regnabat, eumque superveniens Theodericus interemit, familiamque et censum depraedans, ad genitorem suum cum victoria repedavit. Singidunum dehinc civitatem, quam ipsi Sarmatae occupassent, invadens, non Romanis reddidit, sed suae subdidit ditioni.

LVI. Minuentibus deinde hinc inde vicinarum gentium spoliis coepit et Gothis victus vestitusque deesse, et hominibus, quibus dudum bella alimoniam praestitissent, pax coepit esse contraria, omnesque cum clamore magno ad regem Theodemir accedentes Gothi orant, quacunque parte vellet, ductaret exercitum. Qui accito germano missaque sorte hortatus est, ut ille in partem Italiae, ubi tunc Glycerius regnabat imperator, ipse vero ceu fortior ad fortius regnum accederet, Orientale quidem, quod et factum est. Et mox Videmir Italiae terras intravit, et extremum fati munus reddens, excessit rebus humanis, successorem relinquens regni Videmir, filium suum synonymum. Quem Glycerius imperator muneri-

---

Singidunum) Ita Pall. cum Exc. *Suigidonum* Epit. *Sigidavam* Bonf. *Singidonum* vulgo. — *occupassent*) Ambr. *occupaverant*.

Cap. LVI. *Minuentibus*) Ed. Grut. *minuentibus se*. — *in partem Italiae*) Mallem *in partes Italiae* i. e. *in Italiam:* quomodo enim *partes Thraciae* pro Thracia supra c. 27. *partes Bithyniae* pro Bithynia c. 20. *partes Helladae* pro Hellade etiamque *Italiae partes* pro Italia R. S. c. 105. dicitur, sic et hic *partes Italiae* pro Italia dici congruum fuerit: quin dubitandum mihi videtur, num *pars Italiae* pro Italia dici possit dudumque dubitarunt VV. DD. ad Aurel. Vict. Caes. c. 39, 20. — *regnabat*) Haec vox omissa est in ed. Grut. casune an de industria, me quidem latet. — *ceu fortior*) Sic edd. pr. et Epit. ita legendum esse coniecit olim et exhibuit in sua Vulcanius, quum *ceu fortiter* reperisset in ed. Par. — *quidem*) Haec particula non visitur in Pall. (quare eiecit Gruterus) neque in Epit. Videtur autem ea non tam redundare, quam vitiata esse, et *quippe* legendum. — *et extremum*) Copulam, qua carent edd. pr. primum sistit ed. Par. — *synonymum*) Haec vox deest vulgo: exhibent eam

bus datis de Italia ad Gallias transtulit, quae a diversis circumcirca gentibus premebantur, asserens vicinos ibi Vesegothas eorum parentes regnare. Quid multa? Videmir acceptis muneribus simulque mandatis a Glycerio imperatore Gallias tendit, seseque eum parentibus iungens Vesegothis, unum corpus efficiunt, ut dudum fuerant, et sic Gallias Hispaniasque tenentes suo iure defendunt, ut nullus ibi alius praevaleret. Theodemir autem, frater senior, cum suis transit Saum amnem, Sarmatis militibusque interminans bellum, si aliquis obstaret ei. Quod illi verentes quiescunt, imo nec praevalent ad tantam multitudinem. Videns Theodemir undique sibi prospera provenire, Naissum primam urbem invadit Illyrici, filioque suo Theoderico consociatus astat, et in villam comites per castrum Herculis transmittit Ul-

---

Pall. cum Ambr. et ed. Par. nisi quod haec *suumque Synonimum*: reperit eam in suo etiam auctor Exc. cum graeco vocabulo latinum *aequivocus* substituat; inserta autem voce illa *Videmiris* nomen ut glossema videtur expungendum. — *a diversis*) Mg. Par. cum Epit. *adversis*, truncata voce posteriori duabusque in unam coalitis. — *vicinos ibi Vesegothas*) Sic Pall. pro vulg. *vicinos sibi Vesegothas*. — *unum corp. efficiunt, ut dudum fuerant et sic* cet.) Ita Pall. cum ed. Par. et Epit. *unum corpus efficitur ut dudum fuerat* ed. Garet. *unum corpus efficitur et sic* vulgo. — *nullus ibi alius*) Ita Pall. Ambr. Epit. *nullus sibi alius* vulgo. — *Saum*) Mg. Par. *Spadum*, Epit. cum Bonf. *Savum*, quomodo expressum exhibetur nomen apud Plin. H. N. III. s. 22. 28. et Solin. c. 21, 3. — *Naissum*) Epit. *Nayssam*, Bonf. *Nisam*, infra autem in plerisque edd. *Naisitana urbs* per simplicem *s*, quod nec ipsum respuendum; v. de varia nominis scriptura Böcking. ad Notit Imp. Or. p. 243. — *consociatus astat*) Ambr. *sociatis*; an fuit *cum sociatis*? — *et in villam comites*) Pall. cum Ambr. *et in vilia comitibus*, quae desperata primo adspectu verba Wesselingii sagacitas ad Hieroel. p. 656, optime, ut mihi quidem videtur, emendavit, legendum censentis *et III milia e comitibus*: retenta tamen lectione vulg. *comites* possis et legere *et III milia comites*: qua de structura v. c. 55. — *per castrum Herculis*) Ita habet Ambr. quoque, sed Pall. *castro*, quod haud scio an in *castra* mutandum sit. *Castra* enim *Herculis* sita erant illa in

piana. Qui venientes, tam eam, quam et opes mox in deditionem accipiunt, nonnullaque loca Illyrici inaccessibilia sibi tunc primum pervia faciunt. Nam Heracliam et Larissam, civitates Thessaliae, primum praeda capta,

---

regione ducebatque eo a Naisso via: distabant autem illa castra a Naisso XIV. M. secundum Tabulam. — *transmittit*) Pall. *transmisit*. — *Ulpiana*) Sic Pall non, ut vulgo, *Ulpianam*: quanquam et haec potest ferri lectio, favet tamen receptae posterioris aetatis usus, ut patet e scholio ad Ptolem. III, 9, 6. τὸ *Οὐλπιανὸν Οὐλπιάνα καλούμενον παρὰ τοῖς μεταγενεστέροις*. Et ita *Οὐλπιανὰ* plurali numero scribitur Hierocli atque Sardicensis concilii epistolae subscripsit *Macedonius a Dardania de Ulpianis*. — *quam et opes*) Depravata esse haec verba vel primus prodit aspectus. Pall. *quam Mestobis* praeferunt, quam lectionem recepit Gruterus, Ambr. autem *quam Mestulus*, unde coniecit Wesseling. ad Hierocl. p. 656. *Metulum* esse legendum, addens fuisse *Metulum* oppidum in hac vicinia natura et operibus munitum, vocato in partes Appiano Illyric. c. 19. *ἐπὶ δὲ ἑτέραν πόλιν ἐχώρει Μετοῦλον, ἥ τῶν Ἰαπόδων ἐστὶ κεφαλή, κεῖται δὲ ἐν ὄρει σφόδρα ὑλώδει ἐπὶ δύο λόφων, οὓς διαιρεῖ χαράδρα στενή.* Mimine tamen satisfacit doctissimi viri coniectura. Metulum enim ut in vicinia illa situm fuerit, tantum abest, ut ad Italiae propemodum fines occidentem versus positum, immane quantum ab eo, quod Theodemir ingressus est, iter, fuerit remotum: et austrum, non occidentem versus a septentrionibus movisse Gothorum regem, declarant omnia. Mihi autem non tam in Ambr. quam in Pall. vera et genuina latere videtur lectio et est ea, si quid video, *quam et Stobis*: nam repetita *m* litera e finali vocabuli praecedentis atque ea vocibusque *et Stobis* in unam conflatis facillime oriri potuit lectio *Mestobis*. Neque est, quod sextus casus pro quarto positus offendere debeat, ut docent quae dicta sunt supra ad c. 18. Ceterum vocatur et in Tabula urbs *Stopis*, quodque maxime est attentendum, apparet ex eadem, Stobos duxisse viam per castra Herculis a septentrione austrum versus proficiscentibus, non per Metulum, nisi deversos recta via, temere ac nullo certo consilio pervagatos esse provincias Romanas Gothos nobis persuadere velimus. — *Heracliam*) Epit. eum Bonf. *Ardeam*, quod ortum ex *Ecracleam*, *c* et *l* literis in *d* conflatis. *Heraclea* autem an *Heraclia* scribatur, perinde est, ut docent Oudendorp. ad Frontin. I, 3, 9. Kraus. ad Vellei. II, 87. Kritz. ad eund. II, 69. Drakenb. ad Liv. VIII, 24, 4. XXXI, 43, 5.

deinde ipsas iure bellico potiuntur. Theodemir vero rex animadvertens tam felicitatem suam quam etiam filii, nec his tamen contentus, egrediens Naissitanam urbem paucis ad custodiam relictis ipse Thessalonicam petiit, in qua Hilarianus patricius a principe directus cum exercitu morabatur. Qui dum videret vallo muniri Thessalonicam, nec se eorum conatibus posse resistere, missa legatione ad Theodemir regem muneribusque oblatis ab obsidione eum urbis retorquet, initoque foedere Romanus

---

deinde ipsas—potiuntur) Has voces, quae vulgo non comparebant, adieci e Pall. GRUT. Verum illae, si integrae sunt, quid sibi velint, non video, nisi id dicere voluit Iordanis, incommode quanquam expressit, non praedam solum captam esse a Gothis, verum etiam ipsas urbes retentas, quod mihi vix persuaserim. Magis pronus sum ad credendum, latere in voce *ipsas* nomen proprium esseque id *Pylas*, quod nomen pro Thermopylis in usu fuisse, doceat Livius XXXV, 15. *Pylae et ab aliis, quia calidae aquae in ipsis faucibus sunt, Thermopylae locus appellatur:* reperies insuper *Pylas* pro Thermopylis apud eund. XXXVI, 4. *Πύλαι* autem vocantur Thermopylae a Graecis quoque ut Herodot. VII, 176. 201. Strab. IX, 3. p. 279. c. 4. p. 292. ed. Tauchn. Diodor. XVIII, 11. Plutarch. Alex. c. 11. Pausan. IX, 4. aliis. Et circa Thermopylas res tunc esse gestas, apparet ex Heraleae iniecta mentione, quae abest ab illis *σταδίους μάλιστα τεσσαράκοντα*, ut ait Thucydides III, 92. — *nec his*) Sic pro vulg. *nec hac* Pall. et Vatic. 231 Petaenian. — *tamen contentus*) Pall. *tantum contentus.* — *Naissitanam urbem)* Sic geminata *s* litera Vatic. et Epit. ille tamen pro quarto casu sextum sistit. — *petiit*) Vatic. *petit.* — *Hilarianus*) Ita Mg. Par. *Helarianus* Pall. Exc. Epit. *Elarianus* Ambr. *Clarianus* vulgo. — *muniri*) Hoc verbum si ab auctore ipso est profectum, satis incommode hic usurpatur. Etenim non vallo munimus quae obsidere volumus, sed quae defendere ac tueri. Aptius igitur sit, si *ambiri* vel *circuiri* legatur. Sic Capitolin. Gordian. c. 28. *castra omnia fossato circuibat;* Tacit. Ann. I, 68, 1. *vallum armis ambirent*; Boeth. C. Ph. L. III. Pros. 5. *satellite latus ambit.* — Unum alterumve eorum verborum legendum censuisse videtur etiam Sigonius, qui nostrum secutus in libro de Occident. Imp. L. XIV. p. 387. ed. Bonon. pro illo *muniri* verbo *circumvallari* utitur. — *muneribusque*) Vatic. *muneribus.* — *ab obsidione)* Ambr. cum Exc. *excidio*, Mg. Par. *excidione.* — *retorquet*)

ductor cum Gothis loca eis iam sponte, quae incolerent, tradidit, id est Ceropellas, Europam, Medianam, Petinam,

---

Exc. *detorquct.* — *Ceropellas – vocantur*) Quae recensentur h. l. urbium nomina, ea multum torserunt viros doctos, quippe quae iam olim non minus legerentur corrupta quam hodie. Nam Geographus iam Ravennas IV, 9. exhibet ea eodem fere modo quo nunc leguntur, *Ceras*, *Europa*, *Mediana*, *Petina*, *Bereum*, *Quesiun*. De restituendis autem iis quanquam tantum non desperat Ludenius T. III. L. 6. c. 2. not. 19. p. 628. his verbis: „*Es leidet keinen Zweifel: mit den gewöhnlichen Marter-Instrumenten würde man die meisten dieser Namen leicht so weit zu drehen und zu verrenken vermögen, dass sie bekannte Städte zu bezeichnen schienen. Nur bei* Ceropellas *und* Sium *dürfte jeder Versuch misslingen*“: periculum tamen faciamus cum in emendandis ceteris, tum in illis *Ceropellas* et *Sium*. — *Ceropellas*) Pall. *Cerrupellas*, Ambr. cum Vatic. *Cerapallas*, cod. Monac. *Cerra*, *Pellas*, Epit. *Terrupelias*, Bonf. *Terras*, *Peliam*, Geogr. Rav. *Ceras*. Latere autem in voce *Ceropellas*, *Cerrupelias* cet. duo nomina, vel Ravenn. et Bonf. cum Monac. comprobarint: ea vero quae sint, ambigitur inter viros doctos. Wesselingius ad Itiner. Hierosolymit. p. 607. „non dubito — inquit — quin *Pella* in Iornandis verbis c. 56. delitescat. Id ut credam, et locorum situs, quem scriptor circa Thessalonicam signat et Ravennas, ex quo ea exscripta sunt, faciunt.“ Tum prolato illo Ravennatis loco pergit idem: „*Pellam* praeterit, quod eius ante meminisset. Dederit itaque Iornandes: *Ceras*, *Pellam*, *Beroeam et Dium*: quae omnia in hac vicinia fuerunt.“ Bene, nisi supersedisset dicere vir doctissimus, *Cerae* quae sint? Aliter, dubitanter quanquam, rem aggressus est Manso in: *Gesch. des ostgoth. Reiches in Italien* p. 316. fluctuatur enim, *Serrae*ne et *Pella* delitescant in illo nominis monstro an *Cyrrhus et Cellae*, quae in illa regione omnes sibi vicinae. Tafelius autem in Dissertatione de Thessalonica c. IX. p. 185. simpliciter *Cyrrhum* et *Pellam* legendum proponit. Ego vero ut coniecturam *Serras* et *Pellam* probem, movet me Hierocles p. 638. (nam Constantinus Porphyr. II, 2. non est nisi exscriptor eius) abs quo inter XXXII. Macedoniae urbes recensentur *Θεσσαλονίκη*, *Πέλλη*, *Ἔυρωπος*, *Δίον*, *Βέῤῥοια*, *Ἐόῤδεια*, *Κέλλη*, *Λάρισσα* cet. *Σέῤῥαι*. — *Europam*) Pall. cum Monac. *Europa*, Ambr. *Eropam*, Epit. *Riropam*; *Europum* tamen quin corrigendum sit, nemo dubitabit. Meminerunt eius urbis Thucydides II, 100. Strabo VII, 7. Ptolemaeus III, 13, 39. Plinius H. N. IV, 17. Hierocles l. l. alii. — *Medianam*) Pall. cum Monac. *Mediana*, Epit.

Bereum, et alia quae Sium vocantur. Ubi Gothi cum rege suo armis depositis composita pace quiescunt. Nec

---

Medinam, Bonf. *Medivivam*. Sunt qui pro *Mediana Methonen* legendum proponant, quod haec quoque urbs non procul a Thessalonica: nihil tamen mutandum; nam proba est lectio vulg. intelligitque Iordanis Medianam suburbanum *a civitate Naeso* (sive Naisso), ut ait Ammianus XXVI, 5, 1. *tertio lapide disparatum*. Possit quidem obiici, nimis distare hanc Medianam a ceteris urbibus nostro memoratis, sed quid cogit, ut illas ad unam omnes circa Thessalonicam sitas cogitemus, quia maior pars? quin vix potuit fieri, ut universa Gothorum multitudo in angustam illam Thessalonicae circumiectam coarctaretur regionem, et dum Iordanis narrat, inter alias urbes et Medianam concessam fuisse Gothis, non ita vult intelligi, Medianam Gothorum tunc possessionem separatam a ceteris, ut insulam mari, circumfusam fuisse agro Romano, sed ad Medianam usque pertinuisse Gothorum possessiones. — *Petinam*) Sic Epit. quoque et Monac. sed Pall. *Potina*, Mg. Par. *Retinaberam*, duobus nominibus iisque corruptis in unum conflatis, Bonf. *Petiviam*. Utcunque tamen legeris, frustra circumspicies eiusmodi nomen in tractibus illis; quare libens assentior Mansoni et Tafelio, qui *Pellinam* proponunt legendum, quae et ipsa in Macedonia sita memoratur Liv. XXXI, 39. Minus arridet quod Zeussius p. 426. proponit legendum *Pydna*. — *Bereum*) Ita et Bonf. *Bereu* Pall. *Berea* Monac. *Bereum* Epit. certatim emendarunt *Beroeam* sive *Berrhoeam*: et iure. Fuit enim *Beroea* et ipsa Macedoniae urbs. — *et alia — vocantur*) Magna hic lectionis varietas: Geographus Rav. *Quesium* sistit, duabus vocibus in unam contractis, Pall. cum Epit. *et aliam, quae Sium vocatur*, Vatic. quoque *vocatur*: a lectione autem vulg. stant Monac. et Bonf. pro *Sium* legitur *Phthium* in Mg. edd. Leuncl. et Par. necnon in Vatic. Locus desperatus, ut videtur et qui valde exercuerit viros doctos. Fuere, qui acquiescentes in lectione vulg. quidquid agri accepissent Gothi, id regnum *Sium* esse vocatum somniarent (v. Mascov. T. I. p. 495. et Buat. T. VIII. p. 334.). Alii *Dium* esse legendum sunt suspicati, quae et ipsa Macedoniae fuit civitas, sita ad sinum Thermaeum. At alio ducit lectio Ambr. et Vatic. *Suith*. Quae lectio etiamsi et ipsa proba non est, est tamen ea, ex qua emicare videatur scintilla quaedam verae. Videtur autem ea mihi, ut verbo dicam *et Heracliam quae Sintice vocatur*. Iam ex *Heraclia* qui fieri potuerit *et aliam* (quod praeferunt, ut modo dixi, Pall. cum Epit.) pronum est videre. Nam librarius, dum

diu post haec et rex Theodemir in civitate Cerras fatali aegritudine occupatus, vocatis Gothis Theodericum filium regni sui designat haeredem, et ipse mox rebus humanis excessit.

LVII. Theodericum vero gentis suae regem audiens ordinatum imperator Zeno, grate suscepit, eique evocatoria destinata ad se in urbem venire praecepit, dignoque suscipiens honore, inter proceres sui palatii collocavit. Et post aliquod tempus ad ampliandum honorem eius in arma sibi eum filium adoptavit, de suisque stipendiis triumphum in urbe donavit, factusque est consul ordinarius, quod summum bonum primumque in mundo decus edicitur; nec tantum hoc, sed etiam equestrem statuam ad famam tanti viri ante regiam palatii collocavit. Inter haec ergo Theodericus Zenonis imperio foedere sociatus, dum ipse in urbe bonis omnibus frue-

---

omissa, ut millies, aspiratione *eracliam* reperit, conflavit cum *et* copula primam syllabam sequentis vocis, ut haec truncata in *acliam* relinqueretur; quod in *aliam* quam facile potuerit abire, apertum est. *Sintice* autem in *Suith* eo facilius potuit corrumpi, quod inauditum esset id nomen librario. Sita autem fuit illa *Heraclia* sive *Heraclea* (vid. annot. supra) in Sintice, Macedoniae regione, unde, ut a tot aliis eiusdem nominis urbibus discerneretur, adiecto cognomine *Sintice* sive *Sintica* (*Eraclia Xantica* apud Ravenn. IV, 9.; corrupte) vulgo audiebat: v. de ea praeter alios Caes. B. C. III, 79. Plin. H. N. IV, 17. Ptolem. III, 13, 30. Eodem autem, quo noster, modo discernit eandem urbem a cognominibus Livius XLV, 29. *Heracleam, quam Sinticen appellant.* — *in civitate Cerras*) Ed. Par. *Certas*, Epit. *Terras*, Bonf. *Cerris;* intelligendae autem videntur eaedem, de quibus supra actum est, *Serrae.* Neque offendere debet in hac verborum structura quartus casus pro sextus positus, ut iam annotatum est supra c. 31.

Cap. LVII. *grate suscepit*) Sic Pall. Exc. Epit. *grave* ed. Par. operarum, ut videtur, vitio; *gratanter* Histor. Misc. *gratum* vulgo. — *ante regiam*) Mg. Par. *contra regiam.*

retur, gentemque suam in Illyrico, ut diximus, residentem non omnino idoneam aut refertam audiret, elegit potius solito more gentis suae labore quaerere victum, quam ipse otiose frui regni Romani bona, et gentem suam mediocriter victitare, secumque deliberans, ad principem ait: Quamvis nihil deest nobis imperio vestro famulantibus, tamen, si dignum ducit pietas vestra, desiderium mei cordis libenter exaudiat. Quumque ei, ut solebat, familiariter facultas fuisset loquendi concessa: Hesperia, inquit, plaga, quae dudum decessorum praedecessorumve vestrorum regimine gubernata est, et urbs illa caput orbis et domina, quare nunc sub regis Torcilingorum et Rugorum tyrannide fluctuat? Dirige me cum gente mea, si praecipis, ut hic expensarum pondere careas, et ibi, si adiutus a domino vicero, fama vestrae pietatis irradiet. Expedit namque, ut ego, qui sum servus vester et filius,

---

frui — bona) Ambr. Freculph. ed. Lindenbr. *bonis.* — *tamen, si)* Ita Pall. Ambr. Freculph. Mg. Leuncl. et Par. cum ed. Lindenbr. *tantum si* vulgo. — *decessorum praedecessorumve regimine)* Vocabulum *praedessorumve* abest in ed. Lindenbr. quod ego non probarim, quum Iordanis voces *decessores praedecessoresque* vel *praedecessoresve* iunctim usurpare soleat, quod liquet e c. 46. et R. S. c. 99. — *Torcilingorum)* Sic Freculph. quomodo expressum et supra c. 46. nomen legitur; *Thuriligivorum* Epit. *Turingorum* Bonf. *Tureilingorum* vulgo. — *Rugorum)* Mg. Par. *Roigerum*, unde legerim *Rogorum*, quomodo et R. S. c. 103. nomen effertur. — *Dirige me)* Pronomen, quod abest inde a Leuncl. in plerisque edd. revocavi ex edd. illa antiquioribus, astipulantibus Pall. Ambr. Freculph. Epit. — *ut hic)* Freculph. cum Epit. *ut et hic.* — *irradiet)* Ed. Lindenbr. *irradietur*, e Freculpho, opinor; sed vulgatam hic retinendam duxi. *Irradiare* enim verbum quamquam active plerumque usurpatur, reperitur tamen idem neutraliter nonnunquam: sic Cassiodor. Var. III, 6. *serenitatis nostrae luminibus Deciorum sanguis irradiat;* id. de divin. Lectionib. c. 16. *ubique divina virtus irradiat;* Sedulius V, 316.

Coeperat interea post tristia sabbata felix
Irradiare dies.

si vicero, vobis donantibus regnum illud possideam; haud ille, quem non nostis, tyrannico iugo senatum vestrum partemque reipublicae captivitatis servitio premat. Ego enim si vicero, vestro dono vestroque munere possidebo; si victus fuero, vestra pietas nihil amittit, imo, ut diximus, lucratur expensas. Quo audito quamvis aegre ferret imperator discessum eius, nolens tamen eum contristare, annuit quae poscebat, magnisque ditatum muneribus dimisit a se, senatum populumque ei commendans Romanum. Igitur egressus urbe regia Theodericus et ad suos revertens, omnem gentem Gothorum, quae tamen ei praebuerat consensum, assumens, Hesperiam tendit, rectoque itinere per Sirmis ascendit vicina

---

tyrannico iugo) Sic Pall. Freculph. Epit. *tyrannico loco* Ambr. *tyranni iugo* vulgo. — *egressus urbe*) Ed. Par. *egressus usque urbe.* — *omnem—assumens*) Postrema vox non comparet in Pall. quam tamen, praeterquam quod accusativus verbo suo destitui non debet, ut retinerem, moverunt me, quem hic exscripsit noster, Marcellini verba ad a. 488. *Theodericus omnium suorum multitudine assumpta Gothorum in Italiam tendit.* Omittunt verbum Ambr. quoque et Freculph. sed mutata constructione *cum omni gente Gothorum* praeferunt. — *quae—praebuerat*) Ambr. cum Freculph. *qui—praebuere* sive *praebuerunt.* — *per Sirmis*) Sic Pall. optime (v. ad c. 50.), *per Smirnos* Freculph. *per Syrmium* Bonf. *per Sirmios* ed. Leuncl. *per Sirmas* vulgo. — *ascendit vicina Pannoniae*) Sic Pall. et edd. pr. cum Freculph. vulgata *vicinas Pannoniae* est a Leunclavio, qui quum structuram verborum non intelligeret, *vicinas* dedit quasi ad *Sirmas* adiectivum pertineret; sed secus est, ut vidit iam Bonfinius, qui mentem nostri ita circumscribens exprimit *per Syrmium ad loca Pannoniae vicina iter facit.* Nam illa *Pannoniae vicina* apta sunt e verbo *ascendere* eodem modo, quo *ascendere iugum*, *montes* et alia id genus dicimus, iisque ipsis indicatur, non per ipsam Pannoniam fecisse iter Theodericum, sed per ea, ut ego quidem existimo, loca, quae Savo fl. austrum versus essent sita, montana illa magna ex parte, quare bene *ascendere* verbo utitur Iordanis. Et hac incessisse via Theodericum, patet etiam e Procop. B. G. I, 9. At Cluverius I. A. L. I. p. 187. mentem nostri melius quidem quam Leunclavius capiens, dum mancum existimat esse locum,

Pannoniae, indeque Venetiarum fines ingressus, ad Pontem Sontii nuncupatum castrametatus est. Quumque ibi ad reficienda corpora hominum iumentorumque aliquanto tempore resedisset, Odoacer armatum contra eum direxit exercitum. Quem ille ad campos Veronenses occurrens magna strage delevit, castrisque solutis finibus Italiae cum potiore audacia intrat, transactoque Pado amne ad Ravennam, regiam urbem, castra componit tertio fere milliario ab urbe loco, qui appellatur Pineta. Quod cernêns Odoacer, intus se in urbe communit; indeque subreptive noctu frequenter cum suis egrediens, Gothorum exercitum inquietat, et hoc non semel nec iterum, sed frequenter et paene molitur toto triennio. Sed frustra laborat, quia cuncta Italia dominum iam dicebat Theodericum, et illius ad nutum res illa publica obsecundabat. Tantum ille solus cum paucis satellitibus et Romanis, qui aderant, et fame et bello quotidie intra Ravennam laborabat. Quod dum nihil proficeret, missa legatione veniam supplicat. Cui et primum concedens Theodericus, postmodum hac luce privavit, tertioque, ut diximus, anno ingressus in Italiam Zenone impera-

---

legendum proponit *per Sirmium ascendit Alpes vicinas Pannoniae.* — *ad Pontem Sontii*) Sic Ambr. cum Freculph. nisi quod *Soncii* ille; *Sontio* ed. pr. et Epit. nisi quod *Soncio* haec; *ad pontem Sontium* quod vulgo legitur, est a Rhenano. — *resedisset*) Ed. Par. *consedisset.* — *finibus—intrat*) Ita Pall. et edd. pr. solito Iordani more (v. ad c. 20.), Epit. autem cum edd. Par. Lindenbr. Garetii *fines*, ex qua lectione exorta videtur operarum vitio lectio vulg. *fine*, quae primum conspicitur in ed. Vulcan. — *cum potiore audacia*) An *promptiore?* ut Curt. VIII, 11, 11. *vir audaciae promptae* id. IX, 6, 10. *promptae esse ad omne discrimen audaciae.* — *communit*) Hanc revocavi lectionem ex ed. pr. comprobantibus Pall. vulg. *communivit* conspicitur primum in ed. Leuncl. — *ad nutum*) Ita Pall. cum ed. Par. *ad votum* vulgo. — *Tantum*) Quid si *tandem* legas? — *solus*) Mg. Par. *plus.* — *hac luce*) Haec lectio a Rhenano est: nam in ed. pr. *ab hac luce* legitur. — *anno ingressus*) Ambr. et Freculph. *sui* addunt. — *Zenone imperatore*

tore consulto privatum habitum suaeque gentis vestitum seponens, insigne regii amictus, quasi iam Gothorum Romanorumque regnator, assumit (LVIII.), missaque legatione ad Lodoin, Francorum regem, filiam eius Audefledam sibi in matrimonio petit. Quam ille grate libenterque concessit, suos filios Celdebertum et Heldebertum et Thuidebertum credens hac societate cum gente Gothorum inito foedere sociari. Sed non adeo pacis ad concordiam profuit ista coniunctio, quia saepenumero propter Gallorum terras graviter inter se de-

---

consulto) Sic Ambr. *consultu imperatoris* Freculph. et Epit. — *privatum habitum—seponens)* Sic Pall. cum Ambr. et ed. Par. atque Epit. nisi quod hae *reponens* pro *seponens*, quod in *deponens* fortasse mutandum, quomodo legitur apud Freculph. Aliter vero haec et antegressa leguntur verba vulgo, *Zenonisque imperatoris consulto privatim habito suaeque gentis vestitum reponens.* — *missaque legatione)* Sic restitui ex edd. quae Vulcanii praecesserunt: is primus distinctione maiori post *assumit* posita abiectaque *que* copula, ut novum commode auspicaretur caput, ordinem orationis interrupit. — *Lodoin)* Sic Histor. quoque Misc. *Luduin* autem vocatur idem Cassiodor. Var. II, 41. III, 3. 4. Est tamen, qui *Hludvin* hic legi velit. — *Audefledam)* Multum variatur hoc in nominé. A vulgata, quam et nos retinuimus, stant Histor. M. et infra quidem Pall. hic vero *Aodefledam* exhibent. Mg. Par. hic *Odelfledam* sistit, infra vero *Adelfleda*, Exc. *Audofledum*, Epit. et Bonf. *Andefleda*; Anonymo Vales. p. 557. *Augofleda* est eadem. — *filios—Thuidebertum)* Sic Pall. nisi quod *Heldepertum*, Ambr. *Heldebertum et Theodebertum*, omisso *Celdeberto*, quod haud scio an iure, quum nemo non videat, *Celdebertum* et *Heldebertum* unius eiusdemque viri esse nomen; Mg. Par. *Hildebertum*, *Childebertum et Theodebertum*, Epit. *Celdebertum et Heldebertum et Thudebertum*, ed. pr. *Idepertum et Celdepertum et Thuidepertum*, quo postremo nomine non immutato *Ildebertum* pro *Ideperto* et *Cheldepertum* pro *Celdeperto* posuit Rhenanus, sequentibus qui post nostrum ediderunt, praeter Gruterum, qui Pall. sistit lectionem, quanquam *p* pro *b* litera in nominibus illis posito, et Lindenbrogium, cuius ed. *Childebertum* et *Thuidebertum* repraesentat. — *quia saepenumero)* Reduxi hanc lectionem ex edd. antiquissimis astipulantibus Pall. et Epit. Quod vulgo legitur *quin* pro *quia*, comparet primum in ed. Vulcan. retinuissem tamen, si vel unus liber addiceret.

certati sunt, et nunquam Gothus Francis cessit, dum viveret Theodericus.

LVIII. Antequam ergo de Audefleda sobolem haberet, naturales ex concubina, quas genuisset adhuc in Moesia, filias habuit, unam nomine Thiudigotho, et aliam Ostrogotho. Quas mox, ut in Italiam venit, regibus vicinis in coniugio copulavit, id est unam Alarico Vesegotharum, et aliam Sigismundo Burgundionum. De Alarico ergo natus est Amalaricus. Quem avus Theodericus in annis puerilibus utroque parente orbatum dum fovet atque tuetur, comperit Eutharicum, Veterici filium, Beremudi nepotem et Thorismundi abnepotem, Amalorum de stirpe descendentem, in Hispania

---

Cap. LVIII. *Thiudigotho*) Sic Pall. non aspirato tamen *t* posteriori; *Thiudigotam* Mg. Par. *Theodicodo* Histor. Misc. *Thuidegotha* Exc. secutusque haec Lindenbr. nisi quod *Thuidegotham* sistit, *Theudigotho* Epit. *Thendigito* Bonf. *Theudicodo* vulg. — *Ostrogotho*) Sic dedit Rhenanus pro *Hostrogotho*, quod ed. pr. exhibet: sed Mg. Par. eiusque lectionem secutus Lindenbr. *Ostrogotham*, latina terminatione, quod non probandum; Gothicae enim linguae convenientius in ô terminantur feminina: sic *Ultrogotho* apud Venant. Fortunat. L. V. c. 7. et *Moico*, *Virco*, *Gaatho* in Actis Sanctor. XXVI. Mart. p. 619. — *Burgundionum*) Iterum heic mss. codd. reposuerunt suum vetus *Burgundsonum* GRUT. — *Amalaricus)* Ed. pr. *Amalarius;* correxit Rhenanus. — *Veterici filium)* Ita Pall. cum Mg. Par. *Viterici* Epit. et Bonf. *Beterici* Exc. solenni illa literarum *b* et *v* commutatione, *Witerichi* vulgo, mutata ita scriptura a Rhenano pro *Witerici*, quod in ed. pr. legitur. — *Beremudi nepotem et Thorismundi abnepotem)* Sic Exc. quod vulgo legebatur *Beremundi et Toresmundi nepotem*, falsum esse, ex ipso patet Iordane. Etenim a Thorismundo genitum esse Beremud, ab hoc Vetericum et Eutharicum a Veterico, non dixerat modo supra c. 14. sed repetiit etiam eandem rem c. 48. itaque, nisi, quod vix fuerit veri simile hac quidem in re, ipsum sui oblitum esse auctorem statuas, qui Beremudi et Thorismundi nepos simul potuit esse Eutharicus? Res ergo ipsa docet, excidisse aliquid, et esse id vocabulum *pronepotis*, in promptu est. At *abnepotem* sistunt Exc. sistant sane, sed

degere, iuvenili aetate, prudentia et virtute corporisque integritate pollentem. Ad se eum facit venire eique Amalasuentham, filiam suam, in matrimonio iungit. Et ut in plenum progeniem suam dilataret, Amalafridam, germanam suam, matrem Theodahati, qui postea rex fuit, in Africam regi Vandalorum coniugem dirigit Thrasamundo, filiamque eius, neptem suam, Amalabergam, Thuringorum regi consociat Herminefredo. Pitza-

---

quid impedit, quo minus statuamus aut vocem *abnepotem* esse corruptam e *pronepote* aut Iordanem ipsum *abnepotem* cum *pronepote* confudisse? Quod posterius quum verosimilius mihi visum esset, Lindenbrogium secutus, amplexus sum Exc. lectionem, sed ita, ut pro eorum lectione *Herimundi et Thurismundi* virorum nomina, quomodo supra cpp. 14. 48. in textu exhibita sunt, darem: nam h. l. non minus quam supra variatur in libris; Pall. *Beremodi et Thorismodi* praeferunt, Epit. *Berethimundi et Thorismundi*, Bonf. *Berithimundi Thorismundique;* v. *Beremundi et Toresmundi.* — *in plenum*) Ita Pall. pro vulg. *ad plenum:* perinde tamen est, utrum legatur: utroque enim modo dici et *in plenum* et *ad plenum*, annotat Stewech. ad Veget. R. M. III, 9. — *Amalafridam*) Ita dedi Gruterum secutus; Ἀμαλαφρίδα est eadem Procopio quoque B. V. I, 8. 9. B. G. I, 3. Exc. *Amalfreda* exhibent, *Amalafreda* autem legitur vulgo et in Histor. Misc. — *matrem Theodahati*) Sic Pall. alter tamen a manu emendatrice *Theodihati*, Ambr. *Theodabadi* semper, Mg. Par. *Theodahadi* semper; v. *Theodati.* — *in Africam regi Wandalorum*) Sic optime ed. Par. vulgo *Africae regi Wandalorumque*, quae lectio visitur primum in ed. Leunclav. nam edd. pr. *qui postea rex fuit Africae, regi Wandalorum* exhibent. — *Thrasamundo*) Ita pro vulg. *Trasemundo* Bonf. bene v. supra ad c. 33. — *Amalabergam*) Freculph. *Amalaburgam*, quod recepit Lindenbrogius, Exc. *Amalberga*, Anonymo Val. *Amalabirga* est eadem l. l. Procopio Ἀμελόβεργα B. G. I, 12. — *Herminefredo*) Hoc quoque in nomine multum variatur: Pall. *Herminefredo* exhibent, quae lectio firmatur ab Anonymo Vales. et Procopio B. G. I, 12. IV, 25. illi enim *Herminifridus* est, huic Ἑρμενέφριδος: sed Mg. Par. *Hermeredido* sistit, ed. Par. *Hermendefredo,* Freculph. cum Exc. *Ermenfride*, Epit. *Ermenfredo*, Bonf. *Ermanfredo*; v. *Hermenfredo.* Apud Cassiodor. Var. IV, 1. *Herminafridus* legitur vulgo, sed *Hermafridum* in libris scriptis esse testatur Garetius. — *Pitzamum*) Sic Palatinus unus (nam alter hic

mum quoque suum comitem inter primos electum ad obtinendam Sirmiensem dirigit civitatem. Quam ille expulso rege eius Transarico, filio Trafstilae, retenta eius matre obtinuit. Indeque contra Sabinianum, Illyricum magistrum militiae, qui tunc cum Mundone paraverat conflictum, ad civitatem cognomine Margoplano, quae inter Danubium Margumque flumina adiacebat, cum duobus millibus peditum, equitibus quingentis in Mundonis solatia veniens, Illyricianum exercitum demolivit. Nam hic Mundo de Attilanis quondam origine descendens, Gepidarum gentem fugiens, ultra Danubium in incultis locis sine ullis terrae cultoribus debacchatur,

---

deficit). GRUT. Ambr. *Pizzamum* semper. Epit. hic quidem *Pethanum*, infra tamen *Petzam*, quomodo et exhibent Mg. Leuncl. et Bonf. infra, qui tamen hic *Petanum*; v. *Petzamin*. Quid si legas *Pitziam*, quomodo vocatur comes ille ab Ennod. Panegyr. c. 12. aut *Pitzam*, quod nomen legitur Procop. B. G. I, 15. 16? Idem est *Pithia* Cassiodor. Var. V, 29. — *Pitzamum quoque*) Haec verba exciderunt in edd. Par. — *Transarico*) Sic Epit. quoque, *Trararico* Pal. idem est *Trasericus* Ennodio l. l. — *Trafstilae*) Vulgo legitur *Trafstile*, *e* simplici pro caudato seu *ae* posito: nam nominativum in *a* terminari, apparet e variis lectionibus; exhibent enim *Trasistillae* Epit., *Trasistille* Bonf., *Trapstilae* vel *Triopstilae* Histor. Misc. reiectis tamen his lectionibus *Trafstilae* legendum duxi, secutus maxime Malalam, cui est Θρανστήλας idem L. XVIII. p. 451. Ed. Lindenbr. *Transtilae* exhibet. — *Illyricum magistrum militiae)* Mallem *Illyricianae magistrum militiae:* sic Marcellin. Com. ad a. 499. *Aristus Illyricianae ductor militiae*, id. ad a. 530. *Mundo Illyricianae militiae ductor utriusque*: sic noster ipse mox infra *Illyricianus exercitus*. — *conflictum)* Haec vox excidit in edd. Par. — *Margoplano*) Sic Epit. quoque, *Margoplanum* Pal. *Margum planum* Mg. edd. Leuncl. et Par. vulgatam tamen recte habere, apparebit ex iis quae annotata sunt supra ad c. 18. — *Margumque*) Ita pro vulg. *Martianumque* Pal. Ambr. Mg. Par. Epit. Bonf. — *de Attilanis—origine descendens*) Sic adiecta, quae vulgo abest, *de* praepositione Pal. cum Epit. necnon Ambr. nisi quod hic *Attilani* praefert; pro *de* coniecit *ab* Garetius, Lindenbr. autem *de Attilana —origine* in sua dedit. — *debacchatur*, *et plerisque* cet.) Emendan-

et plerisque abactoribus scamarisque et latronibus undecunque collectis, turrim, quae Herta dicitur, super Danubii ripam positam, occupans, ibique agresti ritu praedasque innectens vicinis, regem se suis grassatoribus fecerat. Hunc ergo paene desperatum et iam de traditione sua deliberantem Pitzamus subveniens e manibus Sabiniani eripuit, suoque regi Theoderico cum gratiarum actione fecit subiectum. Non minus trophaeum de Francis per Ibbam, suum comitem, in Galliis acquisivit plus triginta millibus Francorum in proelio caesis. Nam et Thiudem, suum armigerum, post mortem Alarici generi tutorem in Hispaniae regno Amalarici nepotis constituit.

---

dum *divagatus et plerisque* cet. ut omnia adhuc pendeant a superioribus. GRUT. Non opus est illa emendatione vel ideo, quia haud facile *debacchari* verbum pro *divagari* posuerit librarius. — *scamarisque*) Legendum forte *sicariis*, nisi scamari Gothicum vocabulum fuerit, sicarium ipsis significans. VULCAN. Nihil mutandum: vera et genuina est lectio recepta — *Herta*) Epit. *Slerta*, Bonf. *Erta*. — *super—ripam*) Sic pro vulg. *supra* Pal. et Epit. — *praedasque innectens vicinis*) Ita Pal. Mg. Par. Epit. nisi quod copula in hac abest; v. *praedansque vicinos*. — *fecerat*) Sic pro vulg. *nuncupat* Pal. cum Mg. Par. — *et iam*) Ita legendum, non, ut iunctim vulgo, *etiam*. — *Non minus trophaeum*) Haec lectio a Rhenano est: nam in ed. pr. *non minorem trophaeum* legitur, quomodo haud scio an Iordanis scripserit, nisi *triumphum* scripsit, quam vocem sistit Epit. Confundi autem inter se utrumque vocabulum, iam annotatum supra c. 26. extr. — *Ibbam*) Sic Pal. sine aspiratione, quomodo nomen efferunt Cassiodorus quoque Variar. IV, 7. et Isidorus ad aer. 445. quorum alteri *Ibas* est comes ille, alteri *Ebbas*: *Hibbas* autem legitur et vulgo et in Exc. necnon in Epit. et apud Bonf. in quibus tamen *Hiblam*, prona *b* literae in *l* mutatione: eodem modo *b* in *l* abiit in hoc nomine in Append. ad Victoris Tunn. Chron. in quo *Helbas* legitur. — *Thiudem*) Sic Pal. et hic et infra: dicitur ita etiam in Append. Victor. Tunn. Ambr. autem *Theudem* exhibet semper, quomodo et ab aliis effertur nomen: sic Θεύδης est Procop. B. G. I, 12. *Theuda* Gregorio Tur. *Theudo* Fredegario c. 43. *Theudis* Isidoro: vulgo autem *Thiodem* legitur. — *de Hispaniis*) Pal. *Spaniis* quod esset, *Hispaniis*. GRUT.

Qui Amalaricus in ipsa adolescentia Francorum fraudibus irretitus, regnum cum vita amisit. Post quem Thiudis, tutor eiusdem, regnum ipsum invadens, Francorum insidiosam calumniam de Hispaniis pepulit, et usque dum viveret, Vesegothas continuit. Post quem Thiudigisglossa regnum adeptus, non diu regnans defecit, occisus a suis. Cui succedens hactenus Agil continet regnum. Contra quem Athanagildus insurgens Romani regni concitat vires, ubi et Liberius patricius cum exercitu destinatur. Nec fuit in parte occidua gens, quae Theoderico, dum adviveret, aut amicitia aut subiectione non deserviret.

Francorum insidiosam calumniam—pepulit) Si sanus est locus neque legendum *Francorum insidias incolumis pepulit*, vox calumnia, ut interdum illo aevo, quamlibet actionem turbas concitantem significat. — *Thiudigisglossa*) Sic pro vulg. *Thiodigisglossa*. Pal. nisi quod per unum *s*; Mg. Par. disiunctim et monstrose *Thudigis Tolosa* neque minus monstrose Epit. *Thiodigis Gossa*, ed. Lindenbr. *Thiodigisila*. Varie efferunt et alii nomen; sic *Theodigisilus* est idem Gregor. Tur. III, 30. *Theudeghiselus* Fredegario c. 43. *Theudiselus* Isidoro ad aer. 569. et 587. *Teodiselus* in Append. Victor. Tunn. ed. Roncall. *Thiudisolus* autem edd. Scalig. et Basnag. *Θεοδέγισκλος* denique Procop. B. G. I, 8. — *non diu regnans*) Negativam omissam in edd. inde a Leunclav. reduxi ex edd. pr. iubentibus idem Pal. Ambr. Epit. — *hactenus Agil*) Ita Pal. cum Mg. Par. et Epit. vulgo legitur monstrose iunctum *Hactenusagil*, quasi id viri fuisset nomen: monstrosius autem *Hacteriusagil* in Mg. ed. pr. Idem vir *Agila* nominatur a Gregorio Tur. III, 30. ab Isidoro, in Append. Victor. Tunn. — *continet regnum*) Sic pro vulg. *continuat* Pal. et Mg. Par. *continuit* Epit. — *Athanagildus*) Pal. *Atanagildus*, Ambr. *Alanigildus*, Epit. *Athanagildus*; eodem tamen, quo in textu expressum, modo legitur nomen viri apud Gregor. Tur. IV, 8. Victor. Tunn. ad a. 552. Isidorum aer. 587, 592. idem est *Athanaildus* Abbati Biclariensi. — *dum adviveret*) Sic pro vulg. *viveret* Pal. et Epit. quamquam corrupte haec *dum aduueret*. De verbo *advivere* v. quae annotavit Gothofredus ad Cod. Theod. L. V. tit. 1. n. 1.

LIX. Sed postquam ad senium pervenisset et se in brevi ab hoc luce egressurum cognosceret, convocans Gothos comites gentisque suae primates, Athalaricum, infantulum adhuc vix decennem, filium filiae suae Amalasuenthae, qui Eutharico patre orbatus erat, regem constituit, eisque in mandatis ac si testamentali voce denuntians, ut regem colerent, senatum populumque Romanum amarent, principemque Orientalem placatum semper propitiumque haberent. Quod praeceptum quamdiu Athalaricus rex eiusque mater adviverent, in omnibus custodientes, paene per octo annos in pace regnarunt, quamvis Francis de regno puerili desperantibus, imo in contemptu habentibus bellaque parare molientibus, quod pater et avus Gallias occupasset, eis concessit. Cetera

---

Cap. LIX. *vix decennem*) Aliter reperisse videtur Bonfinius in suo: legitur enim apud eum *nondum duodecimum tunc natum annum.* — *Eutharico*) Sic ed. pr. neque aliter legitur supra cpp. 14. 48. 58. *Eutarico* aspiratione omissa visitur primum in ed. Par. unde propagata est haec lectio. — *in mandatis*) Post hanc vocem legitur vulgo *dedit*, quod verbum temere intrusum a Rhenano ego eieci, iubentibus Pal. Ambr. Epit. — *testamentali voce*) Ambr. *lege*, ut et statim *legem* pro *regem*. — *placatum*) Rod. *pacatum*. — *haberent*) Ambr. *haberent post deum*. — *adviverent*) Ita pro vulg. *viverent* Pal. — *de regno—desperantibus*) Mallem *regnum—despectantibus*: sic noster R. S. c. 94. *acsi iuvenile regnum utrumque despiciens*. — *quod — Gallias occupasset, eis concessit*) Mg. Leuncl. et Par. *per Gallias*, e Leunclavii coniectura. Et ita legendum esse, si quid modo terrae concessit Francis Amalasuentha, ipsa docet historia: nam partem tantum Galliae, non omnem occuparat Theodericus. Quod licet ita se habeat, minime tamen aliquid est mutandum, nisi a se ipso dissentire Iordanem statuere velimus. *Gallias* enim, non partem Galliae *Francis repetentibus* reddidisse Athalarici matrem, narrat iterum noster R. S. c. 113. ex quo id etiam apparet loco, vocabulum *quod* hic positum non esse accipiendum pro pronomine relativo, sed esse coniunctionem, quae causam indicet, cur *parare bella moliti sint* Franci. Intactum itaque reliquimus hunc nostri locum, mallem tamen *eas* legere pro *eis* et distinctione mutata, *habentibus; bellaque parare—occupasset, eas concessit*: *cetera—possessa*. — *Cetera—possessa*)

in pace et tranquillitate possessa. Dum ergo ad spem iuventutis Athalaricus accederet, tam suam adolescentiam quam matris viduitatem Orientis principi commendavit, sed in brevi infelicissimus immatura morte praeventus, rebus humanis excessit. Tum mater, ne pro sexus sui fragilitate a Gothis sperneretur, secum deliberans, Theodahatum, consobrinum suum, germanitatis gratia accersitum a Tuscia, ubi privatam vitam degens in laribus propriis erat, in regnum collocavit. Qui immemor consanguinitatis, post aliquantum tempus a palatio Ravennate abstractam in insulam laci Bulsiniensis eam exilio relegavit, ubi paucissimos dies in tristitia degens, ab eius satellitibus in balneo est strangulata.

Sic pro vulg. *in pacis tranquillitate* Pal. cum Ambr. hic tamen *ceteris— possessis* sistit. — *Theodahatum*) Ita expressum legitur nomen in Pal. et Epit. necnon in numis apud Ludwig. in Vit. Iustinian. p. 76. 79. 80. DN. THEODAHATVS vel etiam TEODAHATHVS. in Mg. Par. *Theodahadus* sistitur, quomodo et apud Cassiodorum multis locis nomen effertur. Vulgo *Theodatus* legebatur apud nostrum, quae decurtata nominis forma et ipsa ferri possit, quum *Θευδάτος* Graecis sit. Variatur inter lectiones *Theodahatus* et *Theodatus* etiam apud Marcellin. Com. ad ann. 534. 535. 536. — *privatam vitam*) Ita Pal. pro vulg. *privata vita.* — *in laribus propriis*) Sic pro vulg. *in laboribus propriis* Pal. Ambr. Exc. necnon Epit. nisi quod haec pro *propriis parvis* exhibet, quod minime quadrat in Theodahatum, si audiamus Procopium B. G. I, 3. — *immemor consanguinitatis*) Annectunt Exc. cum Epit. et Bonf. *et beneficii*, quod additamentum non plane respuerim ut spurium. — *abstractam in insulam*) Mg. Par. *abiit et postea in insulam.* — *laci*) Ed. Lindenbr. *lacus*, non necessaria sane emendatione: nam et apud Marcellin. Com. ad a. 534. *in insula laci Bulsiniensis* legitur. — *Bulsiniensis*) Ita bene pro *Bulsinensis* Pal. *Bulsiniensis* autem dicitur lacus ille pro *Vulsiniensi* solenni literarum *b* et *v* permutatione: sic etiam apud Aethicum p. 37. ed. Gron. *Bulsinis* pro *Vulsiniis* legitur. — *ubi paucissimos dies*) Mg. Par. *Amalesuntha plures dies.*

LX. Quod dum Iustinianus imperator Orientalis audisset, quasi susceptorum suorum mors ad suam iniuriam redundaret, sic est commotus. Eodem namque tempore cum de Africa Vandalicum per fidelissimum suum Belisarium patricium reportasset triumphum, nec mora, in ipso tempore madentibus adhuc armis cruore Vandalico contra Gothos per eundem ducem movit procinctum. Qui dux prudentissimus haud secus arbitratur Getarum subigere populum, nisi prius nutricem eorum occupasset Siciliam. Quod et factum est. Trinacriamque ingresso mox Gothi, qui Syracusanum oppidum insidebant, videntes se nihil praevalere, cum suo duce Sinderith ultro se Belisario dediderunt. Quumque ergo Romanus ductor Siciliam pervasisset, Theodahatus comperiens Evermud, generum suum, cum exercitu ad fretum, quod inter Campaniam Siciliamque interiacet, et de Tyrrheni maris sinu vastissimus Hadriaticus aestus evolvitur, custodiendum direxit. Ubi cum Evermud

---

Cap. LX. *cum de Africa Vandalicum—reportasset triumphum*) Sic Pal. cum Epit. nisi quod in illo verba *suum Belisarium patricium* absunt; Ambr. *reportavit*, Mg. Leuncl. et Par. *de Africa et Wandalis*, Par. insuper *Bertramum* pro *Belisario;* ed. Grut. omissa *cum* coniunctione *de Africa et Wandalis—reportarat triumphum*; v. *de Africa a Wandalis quum—reportaret triumphum.* — *cruore Vandalico contra Gothos*) Mg. Par. *cruore Wandalorum, mox super Gothos.* — *haud secus*) Mg. Par. *omnis tribus.* — *nisi prius*) Revocavi hanc lectionem ex ed. pr. astipulantibus Ambr. et Epit. quod vulgo legitur *si prius*, comparet primum in ed. Leuncl. — *Sinderith*) Sic Pal. cum Epit. et Freculph. ita expressum sistunt etiam nomen Pall. in R. S. c. 113. non *Sinderich*, quomodo vulgo legitur et hic et illic. — *Theodahatus*) Pal. *Theudahadus.* — *Evermud*) Ita Pal. hic et Pall. in R. S. c. 114. non *Evermor*, ut vulgo; *Evermuth* Ambr. *Evermundum* Mg. Par. cum Exc. *Enermorem* Epit. *Evermothem* Bonf. *Ebremud* idem est Marcellino Com. ad a. 536. Ἐβϱιμοὺϑ autem Procopio B. G. I, 8. — *et vastissimus Hadriaticus aestus evolvitur*) Haud scio an melius Epit. *in vastissimum Adriaticum aestum*; *vastissimum* certe praefert etiam Pal. — *direxit*)

accessisset, ad Rhegium oppidum castra composuit. Nec mora, deterioratam causam cernens suorum ad partes victoris cum paucis et fidelissimis famulis consciis movit, ultroque se Belisarii pedibus advolvens, Romani regni optat servire principibus. Quod Gothorum exercitus sentiens, suspectum Theodahatum clamitat regno pellendum, et sibi ductorem suum Vitigim, qui armiger eius fuerat, in regem levandum. Quod et factum est; et mox in campis barbaricis Vitigis in regnum levatus, Romam ingreditur, praemissisque Ravennam fidelissimis sibi viris Theodahati necem demandat. Qui venientes imperata sibi perficiunt, et occiso Theodahato rege, qui a rege missus adveniebat, ut adhuc in campis barbaricis erat, Vitigem populis nuntiat. Inter haec Romanus exercitus emenso freto Campaniam accedens, subversaque Neapoli Romam ingreditur; unde ante paucos dies rex Vitigis egressus, Ravennam profectus, Mathasuentam, filiam Amalasuenthae, Theoderici quondam regis neptem, sibi in

---

Ita pro vulg. *dirigit* Pal. et Epit. — *Vitigim*) Correxit Rhenanus: nam in ed. pr. *Witigis* legitur, Exc. *Witigem* sistunt. — *praemissisque Ravennam*) Pal. *Ravenna*, secus ac narrat Marcellinus Com. ad a. 536. *Romam ingreditur* (Vitigis) — *et ibique residens dirigit Ravennam, Theodatum occidit.* Cfr. et R. S. c. 115. — *occiso — rege*) Sic pro vulg. *occisum — regem* Pal. Ambr. Mg. Par. Epit. nisi quod Pal. *Theodato* et Epit. cum Mg. Par. *Theodahado.* — *rege — populis nunciat*) Videtur hic aut *regem* excidisse aut, quod magis placet, post nomen Theodahati lectio vulgata *regem*, invitis quanquam libris, retinenda et sequenda lectio Epit. *occiso Theodahato Wit. nunciavit regem.* — *nunciat*) Haec lectio a Leunclavio est: nam edd. pr. *nunciant* exhibent. — *Mathasuentam filiam*) Mg. Par. *Mathesuetae filiae.* — *filiam Amalasuenthae — neptem sibi — sociarat*) Exc. *Am. filiam vi sibi in matrimonium copulavit:* quae lectio quum iam dudum suspicionem mihi movisset, mancam esse orationem in textu, subvenit tandem legendum fortasse *neptem vi sibi — sociarat*, voce *vi* a finali praecedentis vocabuli litera absorpta. Et *plus vi, quam amore copulasse*

matrimonium sociarat. Cumque is novis nuptiis delectatus, aulam regiam fovet Ravennae, Romae egressus imperialis exercitus, munita utriusque Tusciae loca invadit. Quod cernens per nuntios Vitigis, cum Hunila duce Gothorum manum armis confertam mittit Perusiam. Ubi dum Magnum comitem cum parvo exercitu residentem obsessione longa evellere cupiunt, superveniente Romano exercitu ipsi evulsi et omnino exstincti sunt. Quod audiens Vitigis, ut leo furibundus, omnem Gothorum exercitum congregat, Ravennamque egressus, Romanas arces obsidione longa fatigat. Sed frustrata eius audacia post quatuordecim menses ab obsidione Romanae

---

sibi Vitigem Mathasuentam ait non modo Marcellinus Com. ad a. 536. eumque exscribens noster R. S. c. 115, sed etiam Procopius B. G. I, 11. II, 10. — *Cumque is*) Sic pro vulg. *cumque his* Pal. mallem tamen *dumque is*, cui coniecturae favet ipse se exscribens Iordanis R. S. c. 116. *dumque ille* (Vitigis) *novis nuptiis delectatur Ravennae, consul* cet. — *Romae egressus*) Mallem cum Epit. *Roma egressus*. — *cum Hunila duce*) Sic Pal. Amb. Mg. Par. nisi quod hic *Humila*: vulgo legitur *Cumunilam ducem* duabus vocibus in unam conflatis. *Hunilam* autem nomen fuisse viri, apparet e R. S. c. 116. et Procop. I, 16. — *manum—confertam mittit*) Hanc lectionem sistit Mg. Par. nisi quod *consertam* habet, quod licet non plane sit repudiandum, melior tamen visa lectio recepta: sic *agmen confertum* Virgil. Georg. III, 369. *conferta acies* Tacit. Ann. VI, 35. *conferta phalanx* Frontin. Strat. II, 2, 1. Vulgo legebatur *manu armis conferta*, quod et Pal. exhibet et ed. pr. nisi quod *conserta* tenent. — *Perusiam*) Mg. Par. *Perusia*, cui lectioni vel sequens repugnat elocutio, praeterquam quod Perusiam missam esse illam manum, non inde, etiam e Procop. l. l. patet. — *Magnum comitem*) Sic scribendum cum Epit. et ed. Lindenbr. quum nomen proprium sit *Magnus*, non adiectivum, ut plerique existimarunt editores, *magnum* typis exscribi iubentes. — *Ravennaque egressus*) Sic pro vulg. *Ravennamque* Pall. Epit. et Garet. — *post XIV menses*) Epit. cum Bonf. *post XIII menses*, quod historiae magis convenienter, si pro incompleto accipias mensem decimum tertium. Nam praeterquam quod non ultra annum extendunt Romae obsidionem Iordanis ipse R. S. c. 116, et Histor. Misc. XVI, 15. accura-

urbis aufugit, et se ad Ariminensem oppressionem praeparat. Unde pari tenore frustratus fugatusque, Ravennam se recepit; ubi obsessus, nec mora, ultro se ad partes dedit victoris cum Mathasuenta iugali regiasque opes. Et sic famosum regnum fortissimamque gentem diuque regnantem tandem paene millesimo et trecentesimo anno victor gentium diversarum Iustinianus imperator per fidelissimum consulem vicit Belisarium, et perductum Vitigim Constantinopolim patricii honore donavit. Ubi plus biennio demoratus imperatorisque in affectu coniunctus, rebus excessit humanis. Mathasuentam vero iugalem eius fratri suo Germano patricio coniunxit im-

---

tissime hac de re loquitur Procopius B. G. II, 10. *τῇ πολιορκίᾳ (τῆς Ῥώμης) ἐνιαυτός τε ἐτέτριπτο καὶ πρὸς αὐτῷ ἡμέραι ἐννέα, ὅτε οἱ Γότθοι ἅπαντα τὰ σφῶν χαρακώματα καύσαντες ἅμα ἡμέρᾳ ὁδοῦ εἴχοντο.* — *ubi obsessus*) Sic pro vulg. *et obsessus* Pal. Epit. ed. Par. — *regiasque opes*) Revocavi hanc lectionem ex ed. pr. nam minime opus lectione *regiisque opibus*, quae a Rhenano profecta in omnes propagata est edd. — *paene*) Ita pro vulg. *deinde* Pal. Ambr. Mg. Par. Epit. — *paene millesimo et trecentesimo anno*) Pal. *paene duo millensimo et trecentesimo anno*, qui idem numerus reperitur apud Gothofred. Viterb. et Gobelin. Person. Ambr. autem *paene duo millesimo et trigesimo anno*, Mg. Par. *paene milesimo et tricesimo*, Exc. *post MXL annos*, Epit. denique *paene millesimo et trecentesimo secundo anno.* Iam vero proposita omni in numeris varietate, qui verus sit numerus, dispiciendum, monito tamen prius lectore, non agi hic, ut putaverunt quidam, de eo, quot Gothicum regnum steterit annos, sed quot ab urbe condita ad illud destructum sint praeterlapsi. Sunt autem ii ab urbe condita ad Iustini consulatum, quo tradidit sese Vitigis Belisario, mille ducenti nonaginta tres: quare, quum per adiectum *paene*, ut supra c. 33. per appositum *fere*, non accurate et subtiliter exigere se annos, sed rotundiore malle uti numero prodat Iordanis (quod aliis etiam scriptoribus familiare), sincerum et genuinum esse numerum vulgatum iudico. — *coniunctus*) Ita Pal. Ambr. Epit. pro vulg. *convictus*. — *fratri suo*) Scribendum *fratrueli* vel *fratris filio* nisi sui (v. supra cpp. 14. 48.) et historiae plane oblitum esse velimus auctorem; est enim *ἀνεψιὸς* Iustiniani imp. Germanus

perator. De quibus postumus patris Germani natus est filius, item Germanus. In quo coniuncta Aniciorum gens cum Amala stirpe spem adhuc utriusque generis domino praestante promittit. Huc usque Getarum origo ac Amalorum nobilitas et virorum fortium facta ac laudanda progenies. Laudabiliori principi cessit et fortiori duci manus dedit, cuius fama nullis seculis, nullis silebitur aetatibus, sed victor ac triumphator Iustinianus imperator et consul Belisarius Vandalici, Africani, Getricique dicentur. Haec qui legis, scito me maiorum secutum scripta, ex eorum latissimis pratis paucos flores collegisse, unde inquirenti pro captu ingenii mei coronam contexam.

---

cum aliis tum Procopio B. P. II, 6. B. V. II, 6. Anecdot. c. 5. ibique Alemann. Si *fratris filio* scripsit Iordanis, orta est lectio vulgata e compendiaria scriptura FR. F. quam cum librarii non assequerentur *F.* temere omisso *fratri* exhibuerunt. — *postumus patris*) Ambr. *post humatum patris*, non male, si *humatum* pro *humatione* accipias. — *item Germanus*) Pal. cum Epit. *idem Germanus*. — *Aniciorum gens*) Sic Exc. et Epit. non, ut vulgo pessime, *Anitiorum*: nam per C, non per T scribendum esse illud nomen, docuit iam dudum Vinetus ad Auson. Epist. 16. v. 34. — *utriusque generis*) Exc. *utriusque generis et gentis*. — *Hucusque—progenies. Laudabiliori* cet.) Ita censui interpungendum; quum uno vulgo legeretur tenore *ac laudanda progenies laudabiliori principi cessit* cet. — *Hucusque*) Mg. Par. *hucusque haec*. — *nullis silebitur aetatibus, sed victor* cet.) Sic legendum et interpungendum, non, ut vulgo *nullis silebitur aetatibus. Sic victor* cet. *Sed* particulam pro *sic* praeferunt Pal. Ambr. Mg. Par. Epit. — *silebitur*) Ambr. *delebitur*. — *dicentur*) Ita pro vulg. *dicuntur* Pal. Ambr. ed. Par. — *maiorum—scripta*) Sic pro vulg. *veterum* Pal. cum Ambr. et Mg. Par. ut noster iterum R. S. praef. *ex dictis maiorum flosculos carpens*, sed Epit. *Amalorum* pro *maiorum* exhibet. — *ex—latissimis pratis*) Sic Mg. Par. addita tamen *et* copula ante *ex*, et Epit. sed Pal. *latissima prata*, unde *latissimo prato* legendum esse quis coniiciat: *ex—spaciosis pratis* vulgo. — *collegisse*) Ambr. *legisse*. — *captu ingenii*) Ambr. *ingenioli*. — *contexam*) Revocavi hanc lectionem ex ed. pr. sistit eam etiam Ambr. sed Epit. *intexam* praefert: quod vulgo legitur *contexerem*, comparet primum in ed. Rhenani.

Nec me quis in favorem gentis praedictae, quasi ex ipsa trahentem originem, aliqua addidisse credat, quam quae legi aut comperi. Nec sic tamen cuncta, quae de ipsis scribuntur aut referuntur, complexus sum, nec tantum ad eorum laudem, quantum ad eius laudem, qui vicit, exponens.

---

aliqua addidisse credat) Epit. *aliquid addidisse credat:* est etiam, qui *alia* pro *aliqua* proponat legendum. — *Nec sic tamen*) Ita ed. Par. et e coniectura Grut. *nec tamen* Ambr. *nec si tamen* vulgo. — *quantum ad eius laudem*) Praepositionem, quae inde a Rhenano in plerisque abest edd. restitui ex edd. pr. et Par. exhibet eandem etiam Ambr.

INDEX RERUM MEMORABILIUM.

(Nominibus dubiis aut corruptis asterisci praefixi sunt.)

A.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

L.

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

T.

U.

V.

X.

Z.

CORRIGENDA.

1) In textu.

Pag. 4. v. 6. del. *soli.* p. 13. v. 12. pro *alteribus* l. *lateribus.* p. 31. v. 12. distingu. *unde et Virgilius*: p. 33. v. 5. pro *Gothis tunc* l. *Gothis eum tunc.* p. 38. v. 2. post *effecerunt.* pon. punctum. p. 39. v. 19. distingu. *directis. Qui — nuncupatur: hunc.* p. 44. v. 17. pro *Moesia* l. *Moesiae.* p. 78. v. 3. pro *vastandam* l. *vastandum.* p. 112. v. 21. pro *quam* l. *quas.* p. 135. v. 19. post *Aurelianam* del. comma. p. 157. v. 2. pro *Asturiam* l. *Asturicam.* p. 162. v. 8. pro *ortu* l. *portu.* p. 203 v. 3. pro *ab hoc* l. *ab hac.*

2) In annotatione.

P. 8. v. 20. pro *quo* l. *qua.* p. 16. v. 33. pro *latuissue* l. *latuisse.* p. 23. v. 6. pro *et Pall. cum Ambr.* l. *et Pall. cum Mg. Par.* ibid. v. 18. pro *quod* l. *quae.* p. 28. v. 18. pro *jam quod* l. *quod jam.* p. 31. v. 13. pro *nam tam* l. *non tam.* p. 37. v. 7. pro *edd. atque* l. *edd. pr. atque.* p. 39. v. 13. pro *eam* l. *id.* p. 41. v. 10. pro *ll, ll.* l. *ll. ll.* p. 59. v. 11. pro *Valaeravantem* l. *Valaravantem.* p. 60. v. 3. pro *Thiudemer, Valamir* l. *Thiudemer et Valamir.* p. 61. v. 21. pro *non edd.* l. *nam edd.* p. 65. v. 1. pro *corpereo* l. *corporeo.* p. 66. v. 21. pro *n reliquis* l. *in reliquis.* p. 90. v. 24. pro *ne confero* l. *me confero.* p. 91. v. 4. pro *Eruli nominati* l. *Heruli nominati.* p. 105. v. 8. pro *in duos* l. *in duas.* p. 108. v. 3. pro *hic. t sine* l. *hic t sine.* p. 132. v. 28. pro *casus est, sed* l. *casus est, invasum, sed.* p. 138. v. 18. pro *videmus vl.* l. *videmus vel e.* p. 139. v. 5. pro *constatis* l. *consistatis.* p. 141. l. 4. pro *utrumque* l. *utramque.* p. 159. v. 8. pro *amen* l. *tamen.* p. 169. v. 5. pro *a fratribus* l. *pro fratribus.* p. 172. v 8. post *aestimet* pon. punctum. p. 180. v. 10. pro *Theodemeris* l. *Theodemiris.*

